
GRAMMA:SV

B P S

Sum possesor huius libri
Stanislaus pstrokonsky

~~1534~~ 1535.

Σὺν δὲ θεοὶ μάκαρσι.

GRAMMATICAE ARTIS INSTITVTIO PER IOANNEM SVsenbrotum, Rauenspurgi ludimagistrum, ex Grammaticorum Coryphæis iam tertium recognita, additis & in contextu & in margine haud aspernandis.

Procuravit pr. Primus Canc. Ord. Con. Coliss. S. Stanislai apud D. Pieniazek.



Martinus Scyg Sabbat sze

Inscriptus Cathalogo librorum

Manil. lib. Astron. 3.

Ornari res ipsa negat contenta doceri.

AD LECTOREM.

Collector nõ author ego sum, candide Lector,
Ast imitor uolucrem, sedula fertur apis.
Pauca ego, multa alij, Linacrus plurima cõfert,
Cõsulito ergo boni, pagina quicquid habet.

ERASMVS *lib. de Ratione concionandi 2. scribit: Primum illud constat, Grammaticen esse disciplinarum omnium fundamentum, ex cuius neglectu, quanta bonorum authorum ac disciplinarum uel interitus uel corruptela sit profecta, notius est, quàm ut pluribus sit ostendendum.*

Idem contra morosos quosdam & indoctos: Si nõ licet Christianis recte loqui, cur D. Aug. Grammaticam recte loquendi magistram inter artes ponit necessarias ad sacrorum uoluminum intelligentiam?

Idem ep. 7. lib. 4. Grammatici partes sunt diuinas uertere scripturas. Nec ipsa, opinor, disciplinarum omnium regina Theologia, ducet indignum admoueri sibi manus, ac debitum exhiberi obsequium à pedissequa Grammatica: quæ tametsi nonnullis est dignitate posterior, nullius certe opera magis necessaria. In minimis uersatur, sed sine quibus nemo euasit maximus: nugas agitat, sed quæ seria ducunt.

A 4122

7.5/a 1862

INDEX CAPITVM GENERALIS.

ORTHOGRAPHIA *de literis & earum diuisione.*

PROSODIA *de syllabarũ & quantitate & accentu, ac de ratione carminum.*

ETYMOLOGIA *de octo dictionum generibus & earum accidentibus.*

SYNTAXIS *tum iusta tũ figurata.*

DE PVNCTIS, *id est, constructæ orationis inter legendum distinctione.*

DE ORDINE GRAMMATICO *siue naturali authores interpretandi.*

ERASMVS *epist. 26. lib. 12. Ego nec hos probo, qui neglectis in totũ præceptionibus ex authorib. petunt loquendi rationẽ: nec hos, qui præceptis addicti, nõ uersantur in euoluendis authorib. Præcepta uolo esse pauca, sed optima, quod reliquum est arbitror petendum ex optimis quibusq; scriptoribus, aut eorũ colloquio, qui sic loquuntur, ut illi scripserunt.*

AVTHORES QVI DONARIA SVA AD HANC Grammaticam contulerunt.

Fabius Quintilianus.
Priſcianus Cæſarienſis.
Diomedes Grammaticus.
Caper & Phocas Grammatici.
Aelius Donatus.
Seruius Maurus Honoratus.
Laurentius Valla.

RECENTIORES.

Ioannes Braſſicanus.
Thomas Linacer.
Philippus Melanchthon.
D. Eraſmus Roterodamus.
Gulielmus Lilius.
Thomas Roberſtonus Eboracenſis.
Heinricus Glareanus poeta.
Ioachimus Fortius Antuerpianus.
Ioannes Deſpauterius Niniuita.

GEN-

GENEROSO ADV-
LESCENTI DOMINO FELICI

Fœderico Comiti ab hohen Zolrn & Syg-
maringen, Ioannes Susenbrotus
Vangianus Almanga-
uus, S. D.

SVPERIORIBVS ANnis collegerã ex optimis quibusq; Grammaticæ artis authoribus, libellum Grammaticum nomini tuo dedicatum, Generose adulescens, qui iam denuo longe emendatior, ac multo locupletior sub tuo auspicio in lucem prodit. Vnde uelut ex irriguo fonte, tibi tuisq; condiscipulis emendate tum scribendi tum loquendi præcepta satis superq; haurire ac imbibere liceat. Porrò hæc ars, Grammaticen dico, licet infimas omnium artium partẽis occupet, attamen ad eas dem syncere perdiscendas summe est necessaria. Quemadmodũ enim ligna & ignis in cœnatica ista philosophia minima quidem sunt, sed queis sine oppiparum apparari conuiuium nequit: ita absq; hac arte, literata illa philoso-

Grammatica est necessaria.

Simile.

phia genuino adornari nitore non potest. Est etiam in confesso, hanc cæterarum disciplinarum omnium fundamẽtum esse & basim. Vnde, qui absq; hac ad aliarum artium arcem ac fastigium properant, perinde faciunt ac parũ prouidus paterfamiliâs, qui citra fundamenti soliditatem, ædes tum sumptuosas tum superbas extruere ac in altum erigere conatur: hic enim operam omnẽ & impensas, ut aiunt, perdit: illi uero, labore sese frustra macerant, ingenij uires incassum perturbant, atq; adeo corrumpunt: tempus, quo nil hic precios ius, inaniter terunt: marsupium præterea ita exhauriunt, ut mox fundo suspiret nummus in imo. In summa, sine pennis uolare, καὶ ἐκ θαλάσσης χοινίκων πλέκειν, ac Isthmum (ut prouerbio dicitur) perfodere moliuntur. Quid multis? Hæc ianuam ad disciplinas omnes aperit, ad Rhetoricam simul & Dialecticam uiam munit: artes formandi sermonis tres, & ad Medicinæ, Iuris prudentiæ ac oracularis sapientiæ studium cum primis necessarias. Cæterũ mirũ fortasse tibi uideri possit, quidnã mihi tum quinquagenario in mentẽ uenerit,

Grammatica cæterarum artium fundamentum.

Pers. Sat. 2

ut

ut post tot Grammaticorum non pœnitendorum Grammaticas lucubrationes, & quidem non ineruditas nec aspernãdas, post tot etiam exantlatos phrontisterij labores, hunc libellum Grammaticum concinnarim. Huius sanè ratio paulò altius mihi est repetenda. Ego istam durissimam simul & molestissimam docendæ iuuentutis prouinciam, anno minoris numeri sexto, Leophani primum subij. Illic Torrentinum, qui tum puerorum manibus terebatur, prælegi. Anno deinde octauo Heliopagum me contuli: (Bilibaldus Byrheimerus, ex quinta Europæ tabula Ptolemæi Bragodurum appellat.) Vbi in Iacobi Heinrychmanni Grammaticam incidi, quam circiter biennium continuaui. Secuta est Ioannis Brassicani Grammatica: quæ quod præ cæteris mihi arrideret, reliquum temporis, quo illic fui, in ludo meo primas tenuit. Anno ab hoc duodecimo, sedecimo Kalendas Ianuarij (quo die arx Hegauiæ, quæ à cornicibus nomen habet inditũ, Sueuici iussu fœderis Vulcano dicata est) Schafhusiam, siue (ut D. Vadiano placet) Scheffhusiam, oppidum

Leutkilch oppidum imperiale.

Pfullẽdorff imperij oppidum.

præter cætera rubri uini nobilitate percelebre, profectus sum, Cunrado Trüllerey ac Ioanne Barthero consulibus. Vbi annis plus minus septem humanissime & habitus & tractatus sum, præcipuè à Leonis ac Beyerorum familijs, parentibus item Zimperti Pictoris, qui etiam superiore anno me è Thermis Heluetiorum reuertente, simul cum Ioanne Osualdo Leone, Ioanne Fabro Tribuno plebis ac monasterij omnium sanctorum procuratore, Heinrico Linggio, discipulis olim meis, & Ioãne Phæro Almagauo Ludimagistro (qui Basileæ dum Bursæ nouæ præessem, commune mecum contubernium habuit) mira humanitate ac liberalitate prosecuti sunt. Illic igitur cum uiderem tot Grammaticorum formas, ut Protheus ille uix paria effinxisset, Compendium Grammatices, ex Prisciano, Diomede & alijs tumultuanter collectum, pueris dictabam, qui tum id auide accurateq; calamo excipiebant, quo passim postea solum uertens ac ludum ludo commutans, ut meus mos tum erat, usus sum: præcipue Vangij ac Basileæ, quam urbem uere regalem cum aliquot discipulis (in

Basileæ Encomium.

ter

ter quos erant adulescentes nobilitate insignes Ioannes Rudolphus, & Ioannes Iacobus gemini à Brasperg, præfecti à Summerow) accessisse inquam nunquam pœnitebit. Est sanè Rhenensium urbium, ni sensus mihi imposuerint, amœnissima, ac omniũ quæ uel ad uictum uel uitæ cultum attinent quoddam Copiæ Cornu. Postea uero quàm Academia illic insano, nescio quo ariete, quassari, labefactari ac ruinam tandem minitari cœpit, Basileã mihi oppidò quàm iucundã perinuitus relinquere coactus, Rauenspurgũ Romani imperij oppidum satis amœnum petij. Hic scholam pueris atq; adeo oppidum ferè hominibus uacuum, ob pestis grassantis sæuitiam, reperi. Successit Rusticorum seruile bellum, superioris Germaniæ non minima pernicies, quo temporis curriculo Musæ delitescentes, nec mussare quidem audentes, omnino silebant. Eo autem bello per Sueuicum fœdus, non sine maxima Agricolarum strage confecto, ecce grassatrix pestis denuo rediit. Cum uero ista per diuini numinis opem ad Plutonia castra, ubi pallentes habitant morbi, deturbata est, Bracodurum, ubi

Apollinis tela Rauenspurgi uolitant.

Bellum Rusticanum.

Aen. 6.

amplior mihi conditio offerebatur, repetiui. Vnde à prudētissimo Rauenspurgensium senatu denuo ad publicum pueros instituēdi munus reuocatus, ac salario satis honesto conductus, complures discipulos indeptus sum, non modo ciuium ac patritiorum filios, sed etiam exteros, qui sturnatim (ut ita loquar) aduolabant, maxime natalium splendore insignes. E quorum numero sunt Egon comes ab Furstenberg, Felix Fœdericus comes ab hohen Zolrn, Eberhardus comes à Lupfen, Ioannes Rudolphus ab Hohenegk, Io. Ioachim⁹ à Bappenheym, Felix & Cunradus ab Honburg, Ioannes Volfgangus ab hohen Bodmo, Ioannes & Christophorus ab hohen Rechberg, Ioānes Andreas & Vuernherus à Bernhusen, Ioannes Bernhardus & Ioannes Gotthardus à Landenberg, Blasius, Io. Iacobus & Bernhardus à Ratzenried, Ioannes Burckhardus ab Haymenhofen, Io. Gualtherus à Loubnberg, Hugo à Frydingen, Iudocus à Langeneck, Bernhardus, Heinricus, & Volfgangus Heinricus à Lapide, Ioannes, Sebastianus, Hieronymus, Heinricus & Bernhardus

à Rot,

à Rot, Zympertus à Fryberg, Ludouicus à Grafenegk, Pupillus à Lapide, Io. Iacobus à Vuernow, Beatus & Benedictus ab Hertenstein, &c. Cæterũ ego hoc catalogo me non uendito (deum testor) sed isti τῷ φιλαυτῷ respondere cogor, qui passim in nobilium aulis famam sparsit (quæ sanè tam ficti prauiq; tenax, quàm nuncia ueri) hic magistrum esse, nescio quem, personatum credo, qui nobilium modo pueros doceat: mihi reliquam fecem, cui Penia sit perquam familiaris, commissam esse. O uanissimum mendacium. O mendacissimam uanitatem. Quasi uero Rauenspurgensium magistratus Ludimagistrum conducere non possit, qui omnibus pueris tum nobilibus tũ plebeis satisfacere queat. Non est boni uiri, inquit Cicero, in opere serio, commodum suum cum alterius incommodo facere uelle. Sed ad rem. Cum igitur frequens mihi esset auditorium, mecum cogitare cœpi, qua nam uia studiosis literarum pueris consulere, ac Grammaticum artificium ita tractare possem, quo ijdem primi Latini sermonis rudimenta percipiant faciles tenantq; fideles. Horatius.

Vergilius Aen. 4.

Illico Compendium illud meum, blattis ac tineis penè corrosum arripui, multa lima excruciaui, complura commutaui, non pauca censoria uirgula notata, pœnas tũ ungue tum obelisco luerunt. In quorum locum tamen haud huius artis aspernanda ex Neotericorum Grammaticorum scriptis successerunt: imprimis Thomæ Linacri, cuius ordinem quoad potui, per omnia imitari placuit. Proinde hãc Grammatices lucubratiunculam in tuum ac commilitonum tuorum usum æditam, obuijs, ut aiunt, manibus lubens, uti Grammaticæ candidatũ decet, accipito, legito, pellegito, relegito, deniq; in memoriam transfundito, ac condiscipulos tuos, ut eadem faciant, cohortator. In hac enim, nisi mea me fallat opinio, nihil horum, quæ ad primam Grammaticæ artis institutionem pertinent, desiderabis. Vale optima indole adulescens, Rauenspurgi octauo Kalendas Iulij. Anno à Christi seruatoris nostri natali 1518. Aetatis meæ anno 54.

PA-

PARAENESIS EX D. ERASMO, BAPTISTA GVARINO & alijs excerpta, qua Tẽpus studendi, Ratio & ordo discendi, Modus item repetendæ lectionis, compendio explicantur.

TEMPVS LITERARVM *studio cum primis idoneum.*

AVRORA MVSIS AMICA est, apta studijs: & ad eruditionem ac sapientiam parandam nulla diei pars accõmodatior, quàm diluculum, cum Sol nouus exoriens uigorem & alacritatem adfert rebus omnibus, ac discutit nebulas è uentriculo exhalari consuetas, quæ mentis domicilium solent obnubilare. Vnde homo matutinis horis totus est homo, dum habile est ad omne ministerium corpus, dum alacer uiget animus, dum omnia mentis organa tranquilla sunt ac serena, dum denique auræ diuinæ, ut ait ille, particula spirat ac sapit originem suam, rapiturq; ad honesta. Expertum est etiam in studijs plus effici una hora matutina & antemeridiana quàm tribus pomeridianis, idq; nullo corporis detrimento. Audi quid apud Solomonem cœlestis illa sapientia nobis dicat, Qui mane ad me uigilauerint, me inuenient. Horatius. Prou. 8.

RATIO DISCENDI.

OMNIVM præceptorum de modo studendi illud & primum & saluberrimum esse uidetur, ad quod omnia, uelut ad quendam, ut Græci dicunt, σκόπον sunt referenda, Vt adulescentes ipsi aliquãdo se doctores fore cogitent. Nam qui studiorũ suorum testimonium nunquam redendũ esse putauerit, multa omittet, plurima leuiter, & ut dicitur, in superficie illotis pedibus pertransibit, nihil intime & ad medullam usque tentabit introspicere. Qui uero oportere quæ didicerit, mox docere existimauerit, is iuxta prouerbium πάντα λίθον κινεῖ, ac nihil intactum, nihil indiscussum relinquet: omnia item, quæ in quæstionem uenire possint, sibi ipse tanquam in Dialogo proponit, & secum ita disputando ueritatem elicere conabitur. Oportet etiam discentem discẽda non introrsum, aut sub lingua immurmurare: sæpe enim accidit, ut nec seipsum audiens, plurimos uersus, quasi illinc alienus, percurrat. Clara autem lectio, cum ad intelligendum lecta non mediocriter prosit, utpote auribus, uelut alio extrinsecus sonante, mentis attentionem acriter excitantibus: non parum etiam ad stomachi digestionem ualere ferunt hi qui naturæ ac medicinæ secreta tenent.

Inter legendum non prius subsistere oportebit, quàm ad sententiæ periodon peruentum sit: quæ si primo, ut dicitur, congressu parum intellecta fuerit, gradus est reuocandus ac attentiore mentis acie bis terue relegenda, donec obaudiens sensus diligentia pulsantis excitetur.

Secreta studia à doctis laudantur, at ita, ut posteæ è la-

è latebris in harenam prodeamus, ac uirium nostrarum periculum faciamus. Id quod sapientissimè à Socrate dictum est, Experiamur utrum partus ingeniorum uitales sint, nimium obstetricum industriam imitati. Quare alternatim utrisq; utetur, qui non uulgariter uolet euadere doctus.

Conflictatio illa literaria & tanquam palestra ingeniorum, neruos animi præcipue tum ostendit, tum excitat, tum etiam adauget.

ORDO STVDENDI.

ORDO potissimum in studendo adhibendus est. Hic autem & in temporis & in authorum partitione consistit.

Statas igitur horas habere ac singulas singulis authoribus accommodare oportet: alioqui animus istatum horarum tum authorum confusione ita distrahitur, ut nullibi certum sibi domicilium constituere, nec memoria suo satis officio fungi queat. Mẽs enim non potest se commode in diuersa intendere.

Porrò in quauis arte literaria, unum è multis, qui in illa quam discere cupis, arte præ alijs floruerit, tibi deligas, quem pro ingenij uiribus imitari coneris. Optima enim ab optimis discuntur.

Hos igitur authores, quos legendos selegimus, familiares nobis facere oportet, adeo, ut omnes eorũ sententias ac præcepta, tanquam digitos ac ungues nostros, teneamus, ut si quando disputatio inciderit, penitus notos habeamus, quos in consilium hac de re adhibeamus.

ORDO IN LVDO seruandus.

IN LVDO *cum uersaris, toto tibi agendum est pectore, quod is locus postulat. Est autē* Ludus *siue* Schola *locus bonis tum literis tum moribus ac castis Musis omnino dicatus.*

Schola.

1 *Ante præceptoris ingressum lectioni tuæ totis, ut dicitur, neruis incumbito: ac modis omnibus operam dato, ne merito uapules, ne quid dicto factoúe uel præceptorem offendas uel condiscipulos tuos.*

2 *Docere aut interrogare cōmilitones tuos prodest plurimum.*

3 *Præceptorem interpretantem non attentus modo sed & auidus auscultato.*

4 *Charta & calamus cum atramento in lectione semper ad manum sunto, ut si quid præceptoris ore dictatum fuerit, illico excipiatur.*

5 *Interrogatus à præceptore, distinctē ac clarē apertisq; tibijs, ut aiunt, respōdeto: quo & tuæ classis pueri omnes te audire ac percipere queant.*

6 *Hoc itidem inter exponendum agito. Quod si præceptor proximè te sedentem interrogauerit, caue illi quicquam insusurres, id enim neutiquam beneficium sed ueneficium est: nam hoc pacto per semet nihil ipse est repetiturus, sed semper ab ore tuo pendebit.* Laßt ſich nur an dich.

7 *Latine loqui aßidue, quantum adferat commoditatis nemo studiosorum non nouit.*

8 *Si quid interpretandum est Vernacula lingua, quod*

quod pudorem aut horrem inijciat, figurate ac ciuiliter efferendum est.

9 Tum uoces Vernaculæ sint & ipsæ emunctæ, nec rusticitatem sed urbanitatem sapiant.

10 Inter legendum non prius pedem figere oportebit, quàm cursus periodi metam attigerit.

11 Vitanda, cane peius & angue, ut est in prouerbio, quæ per sonos accidunt, uitia oris & linguæ, Iotacismos dico, Isthnothetas, Labdacismos, Metacismos, Cœlostomiam, Plateasmos, ac cætera id genus uitia, quæ demonstrari scripto uix possunt: id quod & præceptoris officium est, ut uidelicet imprimis uitia, si qua sunt, oris in ipsis pueris diligenter emendet, ut expressa sint uerba, ut suis quæque literæ sonis enuncientur. Vide Fab. lib. 1. cap. 10. & 19. Ludouicum Cælium li. antiquarum lectionū Septimo, cap. 22. Et Marcianum Capellam lib. 5. de elocutione. Diom. lib. 2. inter Barbarismi uitia recensēt.

POST PRAECEPTORIS *interpretationem.*

MOX à præceptoris prælectione, audita ne effluant, aut apud temetipsum, aut cum alijs retracta. Nā alijs, quæ ipse audieris, exponere, nihil hoc erit utilius, uel Fabio teste, qui asserit optimum profitiendi genus esse, docere quæ ipse didiceris.

Nec scisciteri, siquid dubitabis: nec castigari, siquid errabis, sit pudor.

Præterea memineris aliquam tēporis partem tacitæ cogitationi tribuere. Quam unam D. Aurelius,

tum ingenio tum memoriæ imprimis conducere scripsit.

MODVS REPETENDAE Lectionis.

1 LECTIO à præceptore audita, è uestigio tibi releganda est: ita, ut uniuersam sententiam paulo altius animo infigas.

2 Deinde à calce rursus ad caput redibis, singula uerba excutere incipies: ea duntaxat inquirens quæ ad Grammaticam curam attinent.

3 Hoc ubi egeris, rursum de integro percurrito, ea iam potissimum inquirens quæ ad artificium rhetoricum spectant.

4 Hoc diligenter curato, ne pigeat quarto iterare, ac quæ ad philosophiam maxime uero Ethicen referri posse uideãtur, circumspicies: si quod exemplum sit, quod moribus accommodari possit. Quid autem est, ex quo non uel exemplum uiuendi, uel imago quædam, uel occasio sumi queat? Nam in aliorum pulchrè ac turpiter factis, quid deceat, quid non, iuxta uidemus. Hæc si facies, iam uel edidiceris, quanquam aliud egisti.

5 Tum demũ, si libet, ad ediscendi laborẽ accedito: qui tũ aut nullus erit, aut certe perquã exiguus.

6 Restat, ut cum studiosis congrediaris, tuas annotationes in medium proferas, uicissimq; illorum audias: alia laudabis, alia reprehendes: tua partim defendes, partim castigari permittes.

7 Postremo quod in alijs laudasti, tuis in scriptis imitari conaberis. Hæc D. Erasmus.

PRECA-

PRECATIVNCVLA
ad Deum patrem.

DEVS patrum nostrorum & domine misericordiarum, qui omnia uerbo feciſti tuo: Da mihi ſedium tuarum aſſeſtricem ſapientiam: mitte illam de cœlo ſanctitatis tuæ & à ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, ac mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore. Qui uiuis ac regnas deus in æternum benedictus, Amen.

AD CHRISTVM
Dei filium.

O MITISIME Ieſu, qui puer duodecim annos natus, ſedens in templo docuiſti ipſos doctores: cuiq; pater cœlitus demiſſa uoce dedit authoritatem docendi mortalium genus, cum diceret, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, ipſum audite: quiq; ſummi patris æterna es ſapientia, precor te, illuſtrare digneris ingenium meum, ad perdiſcendas honeſtas literas, quibus uti queam ad tuam ipſius gloriam, ad proximi ædificationem, ac animæ meæ ſalutem, Amen.

AD SPIRITVM
ſanctum.

ADORANDE ſpiritus, qui triadem illam omnipotentem abſoluis, è patre filioq; procedens, utrique per omnia æqualis, ſola perſonæ proprietate differens, qui tua bonitate cõdonas peccata

resipiscentibus: qui tuo sancto afflatu purificas hom̃ num mentes, consolaris afflictas, mœrentes casta lætitia exhilaras, nubilas tua luce serenas, errantes dirigis in omnem ueritatem, frigentes accendis igne charitatis, pacis glutino concilias dißidentes, uarijs donis instruis, ac ditas eos, qui per te nomen profitentur domini Iesu. Impertire quæso mihi ingenij docilitatem, discendi studium, memoriæ tenacitatem, ut bonis disciplinis eruditi ac sacrarum literarum mysteria, quæ tui numinis instinctu nobis tradidit Ecclesia catholica, sana mente rimari queam. Qui cum patre & filio uiuis & regnas in æternum, Amen.

TETRASTICHON HVLDERICI Radtoldi Augustani in Grammaticam præceptoris.

ARTIBVS ingenuis fundamina ponere si uis,
O puer, accede huc, lumina fige tua
Hanc in Grammaticen, quæ paucis plurima tradit,
Quæ multis alij longius atq; docent.

OCTOSTICHON VALENTINI Buzlij Vangiani.

VERAS si gliscis puer ô studiose medullas
Ausoniæ linguæ, noscere, pellegere,
Huc ades, hic confige pedem, consiste parumper,
Fige oculos mentis grammata in illa tuos.

Docti

Docti Grammatices sunt hæc præcepta Magistri,
Præceptoris opus, quod legito usq; mei.
Vnde haurire queas collectim, quæ tibi sparsim
Grammatici tradunt, pluribus atq; docent.

IN M. IO. SVSEN. GRAMmaticam Epigramma Georgij Bart Columnaugiensis.

O IVVENIS studiose, tuis mox consule rebus,
Atq; hunc Grammaticum pellegito assiduus.
Nanq; breuis regulis, distinctus ordine tradit:
Ne quid desideres, sic tamen ipse breuis.
Hisq; phrasim qui concinnam stylumq; politum
Contexit, cernes, dum legis & relegis.
Plures plura licet, sparsim tamen, optime tradunt,
Omnia quæ cyclo hic, non dubites en habes.
Quare his assiduus primis studeas elementis:
Quæ haud magis exacte scripserit ullus homo.
Facq; iterum atq; iterum, doctus qui dici & haberi
Percupias, lustres Grammaticorum opus hoc.

GRAMMATICA EST recte scribendi loquendiq; ars, cum enarratione authorum. Hæc teste Fab. in recessu plus habet quàm in
Lib. 1. cap. 5. fronte promittit: quæ nisi oratoris futuri fundamenta fideliter iecerit, quicquid superstruxeris, corruet: necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis sectatorum comes. Dicta est à Græco nomine γράμμα, id est litera, quod à literis incipiat, quas in syllabas cogit, unde partes orationis prodeunt, quæ orationem absoluunt. Huius
Lib. 3. porrò officium est, referente Capella, docte & scribere & legere, tum erudite intelligere ac probare.

GRAMMATICAE ARTIS DIVISIO.

Fab. lib. 1. cap. 15. ARS Grammatica duplex est, Methodice & Historice. μεθοδικὴ, id est, Doctrinalis siue præceptiua, est quæ præceptis compendio comprehensis orationis partes, illarumq; accidentia conquirit: syntaxim præterea & orationis structuram rimatur. Hæc à Diomede ὁριστικὴ, id est finitiua nuncupatur. ἱστορικὴ uero enarratiua, est quæ iudicium sumit de metrica & oratione pedestri. Hæc à Diomede ἐξηγητικὴ, id est expositiua appellatur.

Compendiosa artiũ præceptio ab Aristotele Methodus dicitur.

Lib. 2.

Partes methodicæ grãmatices numero sunt quatuor, Orthographia, Etymologia, Syntaxis, & Prosodia. Quibus subijciũtur ueluti partes materiales, Litera, Syllaba, Dictio & Oratio.

DE

DE ORTHOGRAPHIA.

ORTHOGRAPHIA pars est Grammatices, quæ recte scribẽdi formam tradit. Hæc circa literarum potestatem uersatur. Et tribus conficitur partibus, Aspiratione, Diphthongo, & Consonantium recta distributione, ut hymnus non ympnus, Hodœporicum, cum œ in secunda syllaba, re=gnum, san=ctum, em=ptum, Tribus contra modis corrumpitur, Adiectione, ut ammo pro amo, solempnis pro solennis. Detractione, ut ordeum pro hordeum. Immutatione, ut set pro sed, ptisis pro phthisis. Huic parti subiecta est litera quæ ita definitur.

Litera est uox quæ scribi potest, indiuidua. Dicta est autem litera, uel quasi legitera, quod legenti iter præbeat: uel potius à litura, quod antiquitus in ceratis scribebatur tabulis, in quibus literæ plerunque lituram patiebantur.

Literas etiam elementa nominant, hoc tamen discrimine, quod elementa ipsa pronunciationes sint siue literarum soni, notę autem signa aut figuræ earum literæ. Id tamen authores, uel uti quoque plurima, uertunt. Elementũ.

Literæ porrò adinuentæ sunt propter rerum memoriam, ne obliuioni tradantur. Literæ cur inuentæ.

Literæ apud Latinos duæ sunt et uiginti, A b c d e f g i k l m n o p q r s t u x y z. H præter figuram ac in uersibus situm, literæ nihil habet, sed aspirationis est nota. Quę quidẽ omnib.

Gell. lib. 2. cap 3. uocalibus præponi, consonantibus duntaxat quatuor c r p r postponi potest, ut uel sonus earum uegetior ac robustior esset, uel uocis ambiguitas tolleretur. Vt, Est hara porcorum, diuorum dicimus aras. Porrò y & z Latini propter Græcas dictiones à Græcis mutuo acceperunt. K quoque litera alioqui superuacanea, à quibusdam in fronte Græcæ dictionis usurpatur, ut Kalendæ, kyrios, Katharina, &c. Kappa Græcum esse uidetur.

Literæ accidunt quinq;, Nomen, Figura, Potestas, Cognatio, & Ordo. Nomen. *Nomen* est uocabulum, quo litera nominatur & à qualibet alia discernitur, ut A B C. Figura. *Figura* est qua litera depicta cernitur. Potestas. *Potestas* est literæ uis ac officium, quod habet, ut A uocalis, B consonans. Cognatio. *Cognatio* est qua litera una in aliam per affinitatem atq; adeo euphoniæ gratia tum in deriuatione, tum in compositione demigrat: ut au cupis ab auceps, e in u: imperitare, a in i: aufero, b in u: imbibo, n in m, &c. Quæ literarum mutationes naturali quadam uocis ratione ob celeriorem linguæ labiorumq; motum ac facilioOrdo. rem pronunciationem excogitatæ sunt. Ordo est in dictione genuina literarum series, ut a e o uocales præpositiuæ sunt: subiunctiuæ e i u, ut æ ei œ au eu, &c.

LITERARVM DIVISIO.

Literarum aliæ Vocales sunt, aliq; Consonantes. Vocales quidem & per se mouentur ad perficien-

ficiendam syllabam, et secum consonantes com mouent.

Consonantes uero sine uocalibus, perinde ac corpora animabus destituta, per se moueri nequeunt.

Vocales sunt quinq;, a e i o u, et y Græca, quæ non nisi Græcis dictionibus intercalatur. Vocales dictæ, quod uocem habeant sonoram, nec his sine ulla proferri syllaba possit. Ex his diphthongi conflantur.

Est autem Diphthongus geminus unius syllabæ sonus. Et sunt quatuor, æ œ au & eu. Accedit ei, qua uereres Latini utebantur ubique loco i longæ: nunc autem huius ferè usus est in accusatiuis nominum aliquorum pluralibus tertij declinatus: ut parteis, omneis, treis, &c.

Consonantes sunt sexdecim, b c d f g k l m n p q r s t x z. Sic appellatæ, quod uocalibus consonent, *cum ipsæ per se uocem perficere articulatam nequeant, Ex his, aliæ Semiuocales, aliæ* Mutæ, aliæ uero Liquidæ.

Semiuocales sex sunt, l m n r s x. *Sic dictæ* quod plenam uocem non habeant, perinde ac uocales: quantum tamen ab his uincuntur, tantum superant mutas.

Mutæ sunt nouem, b c d f g k p q t. Mutæ uocantur, quod ad aliarum comparationem literarum uocem ædant exiliorem.

Liquidæ sunt quatuor, l m n r. Hæ uocalem breuem cum muta præcedente ancipitem ac cõ-

munem efficiunt: unde & nomen sumunt. Vt, Nox tenebras profert, phœbus fugat inde tenebras. Ouid. Metam. 12. Et primo similis uolucri, mox uera uolucris.

Fabula. 3.

Duplæ siue Duplices sunt tres, x z & i posita inter duas uocales. Sic dictæ, quod pro duabus ponantur literis: nam x pro cs siue gs: z pro ss: i pro geminato ponitur, ut nex, grex, patrizo, Troia, maior.

DE PROSODIA.

PROSODIA est pars Grammatices, quæ rectam uocum pronunciationem tradit. Latinè Accentus dicitur. Huic parti Syllaba subijcitur, utpote, quæ illarum tum accentum tum quantitatem rimetur. Hæc ita definitur.

Syllaba est literarum connexio uno spiritu pronuncianda. Vocalis sola syllabam abusiue facere dicitur. Syllaba *à singulis incipiens literis, non plus quàm ad sex in Latino sermone procedere potest*, ut a, ab, arx, mars, stans, stirps.

Prosodia in Tempus & Tonum diuiditur. De Tempore primum, & id quidem paucis, mox ad Tonum conuertemur.

Tempus est syllabæ pronunciandæ mora. Hæc Prosodiæ pars ad poëtas rationem pertinet. Porrò omnis syllaba uel Prima uel Media uel Vltima dicitur.

Prima syllaba dicitur, quæ in dictione pluriũ syllabarum principem locum obtinet. Adiectũ

est

est plurium syllabarum, propter monosyllaba, quæ in ultimis syllabis connumerantur.

Media omnis dicitur, quæ neque prima est, neq; dictionis ultima.

Vltima est, quæ dictionē terminat. Harū quę-dam aut Longa est aut Breuis. *Longa* siue porrecta, est in cuius prolatione duo tempora consumuntur. *Breuis* siue correpta, est quæ unum duntaxat tempus continet.

Syllaba dicitur Longa uel natura uel positura, ut in Consedit, prima longa est positione, media natura, ultima breuis.

DE QVANTITATE primarum syllabarum.

PRimarum syllabarum quantitas octo notionibus deprehenditur, Positione, Vocali ante uocalem, Deriuatione, Cōpositione, Præpositione, Diphthongo Regula & Exemplo.

Positio.

1 Vocalis ante duplicem, aut duas consonantes in eadem dictione, positione est longa, ut uentus, axis, patrizo.

2 In diuersis dictionibus apud Latinos rarissime usu uenit.

Silius,

Immane stridens agitur, crebroq; coacta.

Iuuenalis,

Occulta spolia & plures de pace triumphos.

3 Est tamē Positio, ubi præcedēs dictio in cō-

sonantem definit, ac sequẽs ab una incipit. Verg. Geor. 4. Consedit scopulo medius numerumq; recenset.

4 Vocalis breuis ante mutam sequente liquida communis redditur, ut patris, uolucris. Longa uero non mutatur, ut aratrum, simulachrum penult. longa, secundum primitiui analogiam.

Poetæ Latini hic multa à Græcis iure sibi suo licentiose usurpant.

Vocalis ante uocalem.

REGVLA I.

Vocalis ante alteram in eadem dictione Latina ubiq; breuis est, ut deus. Excipiuntur genitiui in ius à nominibus secundam pronominis formam habentibus, ubi i communis reperitur, præterquàm in alius, ubi i semper est longum, ut contra in alterius, ubi perpetuo corripitur. *Excipiendi sunt etiam genitiui & datiui quintæ inflexionis, quæ inter geminum i habent e longum, ut faciei.* Porrò fi syllaba in uerbo fio longa est, nisi post e sequatur r, ut fierem fieri.

Iuuenalis,

Sic fiunt octo mariti. Idem,

Quod fieri non posse putes.

Ohe Interiectio priorem syllabam ancipitem habet. Lucretius priorem syllabam in rei & ei produxisse deprehenditur. Priscianus libro 14. ait illos datiuos, huic, cui, ei, natura monasylla-

bos

bos esse. Inueniri tamen, sed raro, bissyllabos, & maxime ei, qui κατὰ διαίρεσιν disiungitur, ne interiectio esse uideatur.

REGVLA II.

Vocalis ante alteram in Græcis dictionibus subinde fit longa, ut Dicite Pierides: Respice Lāertem. Er in possessiuis, ut Aeneīa nutrix, & Dīa Camilla. Cuiusmodi sunt & illa, Aër, Iapetus, Laodamia, Thyas, & id genus sexcenta.

Hic obiter notabis, i & u consonantes fieri, quoties in eadem syllaba uel ipsæ sibi, uel alijs uocalibus connectuntur, ut Iuno, Iuppiter, Ianus, ieiunium, uannus, Venus, uilis, uomis, uulnus, Vuula.

Præterea u post g s & q, sequente uocali uim tam uocalis q̄ consonantis amittit ac ferè euanescit, ut lingua, suauis, aqua, coquo, priore breui.

Deriuatio.

Deriuata eandem cū primitiuis quantitatem sortiūtur. Deductæ uoces primaria ritè sequuntur, ut ămator, ămicus, ămabilis, prima breui ab ămo. Excipiuntur tamen pauca, quę à breuibus deducta, primam producunt. Cuius generis sunt, uox uocis à uoco, rex regis à rego, sedes à sedeo, iumentum à iuuo, fomes & fomentum à foueo, iucundus à iuuo, iunior à iuuenis, mobilis à moueo, humanus ab homo, uomer à uomo, pedor à pede, casus à cado, regula à rego, uires à uireo, feralis à fero, nequam à nequeo, re-

gula à rego, secius à secus, remus à remoueo, uena à uenio. Vide Sulpit. Sunt rursus quæ cõtra à longis deducta corripiuntur: qualia sunt, dux ducis à duco, dicax maledicus, & id genus à dico, fides à fio, arena & arista ab areo, posui à pono, genui à gigno, fragor & fragilis à frango, noto notas à notu, nato natas à natu, disertus à dissero, sopor à sopio. Et alia nõnulla ex utroq; genere, quæ ex Mancinello & Sulpitio expiscari & inter legendum obseruare licebit.

Compositio.

Composita simplicium quantitatem sequuntur, eaq; accentu potissimum demonstratur, ut potens, impotens, solor consolor pen. prod. lego is, perlego penult. breui, lego as allẽgo. Excipiuntur hæc breuia à longis cõposita, innuba & pronuba à nubo, deiero & peiero à iuro, infio & suffio à fio: & si qua sunt id genus alia. *Sunt rursus quæ à breuib. conflata primitiui prioris syllabæ naturam uariãt, ut ambitus participiũ à supino itum, comitium à con & itum, cõuitiũ à con & uitiũ: quanquã Festus à uicis deducat, in quibus primũ habitatum est, quasi conuocium. Vnde & prouerbium, Septem conuiuium, nouem conuiciũ.* Item semisopitus apud Ouidiũ à sopitus. Extat libellus de hac re Iacobi Gauden.

Præpositio.

Ex præpositionibus à, de, è, præ, se, protelantur: nisi uocalis sequatur, ut Vna dehiscens. *Subdibúsue*

dibúsue præustis, Itẽ præire præesse. Pro quoq; longa est, nisi in istis, procella, profugus, proteruus, pronepos, propago pro stirpe, profanus, profundus, profor, proficiscor, propero, profiteor, profugio, profecto. Hæc sequẽtia primam syllabam habẽt ancipitem, procuro, profundo, propello, propulso, propago as. Duo itẽ Græca, prophera & propino. Di quoq; protelatur, præterquã in dirimo & disertus. Re ubiq; corripitur, nisi positione lõga fiat. Refert pro distat siue utile est, à res & fero priorem producit. Reliquę propositiones, si positio sinit, corripiũtur. Pro Di. Re.

Diphthongus.

Omnis diphthõgus est longa. Mancin. Diphthongus Græcè producitur atque Latinè: nisi uocalis sequatur, ut præire, præesse, præhendo, Sudibúsue præustis.

Diphthongus in Græcis dictionibus à sequente uocali excepta aliquoties corripitur.

Regula.

CANON I.

Omne præteritum dissyllabon priorem habet longam, ut legi, emi. Excipias bibi, tledi, scidi, steti, tuli, fidi. Et quæ uocalem ante uocalem habent, ut nuo nui, ruo rui, sic fui, spui, sui, &c.

CANON II.

Verba initialem syllabam in præterito geminantia primam corripiunt, ut cecidi à cado, cecîdi à cædo, pependi, tetẽdi, totondi, momordi,

pepedi, fefelli, tutŭdi, tetĭgi, pupŭgi, didĭci, & similia.

CANON III.

Omne supinum dissyllabon priorem producit, ut motum, latum, cretū. Excipe quitum, situm, litum, itum, rutum, ratum, datum, satum, & citum à cieo es. Nam citum à cio cis, quartæ, priorem producit.

CANON IIII.

Quanta est prima præsentis, præteriti aut supini, tanta erit & eorum quæ ab his deriuantur, nisi sequatur positio aut literatura uarietur.

De Exemplo.

Si exemplo syllabarum quātitatem expiscari cupis, optimus quoscp poetas tibi familiares facito, à quibus ficubi hæsitaueris, consilium & id quidem tutissimum petere licebit, ubi uidelicet iure suo legitime, non licentiose utuntur.

DE MEDIIS SYLLABIS.

MEdiæ syllabæ partim eadem ratione quæ primæ, partim etiam declinationis analogia, accentu, & penultima genitiui cognosci possunt

1 Accentus, in hyperdissyllabis duntaxat, semper cuiuscunque dictionis penultimam (modo rectè pronuncietur) ad unguem explorat, atque adeo tanquam digito prodit, longa ne fuerit an contracta.

2 Penultima autē genitiui singularis in polysyllabis

syllabis cognoscitur ea syllaba, quæ in aliis casibus antepenultima est: ut in dictione lapidibus syllaba di, quandoquidem penultima est, accentu deprehenditur esse breuis: pi uero, quæ hic antepenultimum locum occupat, penultima genitiui lapidis, ostenditur etiam corripi debere. Ita cætera siue nomina siue uerba accentus beneficio excutere licebit. Porrò Analogia declinationis facile mediarum syllabarum quantitatem deprehendere possumus, si crementum & nominum & uerborum purgatis, ut dicitur, auribus auscultare uelimus. 3.

Crementum.

Est autem crementum nominum, cum obliqui rectum superant, ut usus usibus. Verborũ, quando secunda persona singularis indicatiui numero syllabarum superatur, ut amas, amâmus, amâtis, &c. De utroq; sequentes regulæ sunt obseruandæ.

REGVLAE.

Crementum nominum.

1 AEO casu patrio plurali extenduntur, ut Musarum, specierum, dominorum.

2 AE datiuo & auferendi casu plurali numero protelantur, ut mulabus, speciebus.

3 I & V dandi casu & ablatiuo plurali corripiuntur, ut partibus, artibus, fructibus, partubus, artubus.

De gignendi casus penultima singularis nu-

meri in tertia declinatione abunde dicetur.

De crementō Verborum.

1 A in crementis uerborum producitur, ut amamus, doceamus, legamus, audiamus. Excipe damus, dabam, dabo, dare, & ab hoc uerbo composita primi coniugatus, ut circundăbam, uenundăbam, pessundăbam, &c.

2 E quoq; crescens in omni cōiugatione prolatur, ut amêmus, docêmus, legêmus, audiêmus. Nisi post e sequatur r: nā tunc modo producitur, modo corripitur. Producitur in secunda coniugatione in præsenti indicandi & imperatiuo passiui uerbi, item in præsenti & præterito imperfecto optandi, subiunctiui & infiniti modi eiusdē cōiugatus in uerbis actiuis & neutris. Præterea in oībus præteritis perfectis actiuis & neutris indicādi modi omniū coniugationū. Corripitur in illis eisdem tēporibus in tertia coniugatione. *Accedit præteritum plusquamperfectum indicandi, præteritum etiam perfectum ac futurum subiunctiui omnium coniugationum.* Porrò personæ illius farinæ passiuæ terminationis reris & rere producunt. At futura primæ & secundæ coniugationis passiuæ uocis reris & rere corripiūt, præter ameris & amere. Tertiæ & quartæ producunt, ut legêris êre, audiêris êre, in indicatiuo. Poëtæ tamen eanter in præteritis indicandi modi interim corripuere, ut tulĕrunt, dedĕrunt, emĕrunt, &c.

3 I in primis crementis quarti coniugatus producitur, ut audimus: ita simus, uelimus à sum & uolo. Item in præteritis, ubi u consona sequitur, ut audiui, petiui. In reliquis corripitur, ut petimus, amauimus, docuimus, legimus, audiuimus. Porrò prima & secunda personæ plurales futuri subiũctiui modi penultimam producunt, teste Diom. lib. 1. ut dixerîmus, dixerîtis, dederitis, cõtigeritis. Ouid. de Ponto lib. 4. Eleg. 5.

Copia nec uobis ullo prohibente uidendi
Consulis, ut limen, cõtigeritis, erit. Idem lib. (Met. 6.
Simul uitam dederitis in undis.

4 O in omni cremẽto, producitur, ut amatote.

5 V uero corripitur, ut uolumus, possumus.

Horatius.

Nos numerus sumus et fruges consumere nati.

Vergilius.

Non omnia possumus omnes.

DE VLTIMIS SYLLABIS.

VLtima syllaba quanta sit tribus modis deprehenditur, Positione, ut solers, Diphthongo, ut præs, poẽtæ: & Regula, in hunc modum.

A.

In a finita producuntur, ut ama, contra. Excipias ita, puta, quia. Item omnis casus in a breuis est, præter uocatiuum à Græcis in as, ut ô Aenea, & ablatiuum primi declinatus. Qua modo longum, Vergil.

Si qua fata sinant: Modo breue. Idem, Rhœbe diu res, si qua diu mortalibus ulla est.

Numeralia in ginta finalem habent commu nem. Postea apud Ouid. duarum dictionum loco non semel positum apparet.

Fœminina quædam Græca in a non raro apud Latinos producta leguntur. Statius, Non Tegea, non ipsa deo uocat alite uates. Idē, Te Nemea, tibi lerna comas, lariſſæq; ſupplex.

Ouid.

Mittit Hypermestra de tot modo fratribus uni, Hæc tamen & cæsura longa fieri possunt.

B. D. M. T.

In b d m t finita breuia sunt, ut ab, ad, ferrum, caput. Nisi positura & syncope impediant, ut amant, obit pro obiuit. Iuuenalis Sat. 6. Magnus ciuis obit, & formidatus Othoni. Potest tamen & hoc per cæsuram excusari.

Hebraica & Barbara in b & d producuntur aliquando, ut Iob, Iacob, Aminadab, Dauid & similia, sed ratione uocalis uel diphthongi præcedentis.

C.

C finita protelantur, ut dic, duc, halec. Præter nec & donec, quæ breuia sunt, & hic pronomen, quod est commune.

De hic, hoc, fac, lac, Grammatici certant & adhuc sub iudice lis est. Tu in his probatos imitari ue lis.

E.

E finita breuia sunt, ut mare, penè, lege. Excipiun-

piuntur quæ à Græcis per η scribuntur, cuiuscunque fuerint casus, generis, numeri, aut declinationis, ut hęc Bacche apud Horat. Lethe, Danae, Thebe, Penelope, parasceue, Achate, Euphrate. Luca in 8.

Signaq; ab Euphrate cum Crasis capta ferętes.

Lucretius Tabe produxit. Calpe Iuuenal. Sat. 14. corripuit. Gerulaq; tantum

Aequora transiliet, sed longe Calpe relicta.

Præterea uocatiui primæ declinationis in η qui apud nos in e longum exeunt, ut ô Anchise, Atride, Pelide, Cronide. Tum neutra plurialia, ut tempe, mele apud Lucretiũ, cete. Omnes etiam uoces quintæ inflexionis in e, unà cũ aduerbijs inde enatis, quod genus sunt hodie, pridie, postridie, quotidie, quare. Secundæ itẽ personæ singulares secundi coniugatus imperandi modi, ut doce, mane. Monosyllaba quoq; producuntur, ut me, te, se. Præterq;, ne, ue coniunctiones enclíticas. *Postremo longa sunt & aduerbia in e ab adiectiuis nominibus deducta,* ut doctè, iustè, ualdè pro ualidè. Quibus accedunt fermè & ferè. Quæ uero non comparantur, ut ritè: aut comparationis regulam non seruant, ut benè et malè: aut à nomine uerbóue nõ ueniũt, ut impunè, sæpe corripiuntur. Facile & difficile nomina potius dicenda sunt pro aduerbijs posita. Ablatiuus fame plerunq; protelatur, quod fames olim in quinta classe flecteba-tur. Author Gellius li. 9. ca. 14. & Priscian. li. 7.

Quoties uale, caue, uide, state, & his similia, ultima breui reperire continget, memineris tertij esse ordinis, non secundi. Qua de in secunda coniugatione dicetur.

Appositiones syllabicæ, ultimæ sunt aliarum dictionum syllabæ, & proinde breues. Huiusmodi farinæ sunt huiusce, hisce, tuapte, &c.

I.

I finita extenduntur, ut dei, amari. Præter mihi, tibi, sibi, ubi, ibi, quorum prior brevis est, altera indifferens. At in nisi & quasi utraq; corripitur.

Datiui & uocandi casus Græcorũ, quorum genitiuus in os breue exit, corripiũtur, ut huic Pallidi, ô Amarilli. In istis enim, ut penè in alijs omnibus, Græcorum uestigijs insistimus.

Y.

In y corripiuntur, ut moly, dory.

L.

In l finita corripiuntur, ut animal, Hannibal, mel, consul. Præter sal, sol, pol, nil per Sinæresim à nihil. Et barbara quædam in El, ut Michael, Raphael, Daniel.

N.

In n finita protrahuntur, ut hymen, delphin. Excipiuntur forsan, forsitan, tamen, attamẽ, an, in, & composita exin, subin, dein. Viden', men' & id genus alia, quæ ad eundem modum per Apocopen castrantur.

Neutra item in en breuia sunt, ut carmen, no

men,

men, numen. Tũ Græca in on per ο μικρὸν cuiuscunq; fuerint casus, ut Ilion, Caucason, pylon. Item quędã in in, ut Alexin, Ibin, procrin. In yn, ut Ityn. In an à nominatiuis in a, ut Aeginan.

Græca in ων producuntur, ut Sarpedon, Actæon, Pandion, Ixion. Sic & genitiui plurales, ut Epigrammaton, Cimerion.

In an & en à Græcis in as, es, & e, protelantur, ut Aenean, Anchisen, parasceuen, pentecosten, Alciden, &c.

O.

In o finita communia sunt, ut amo, uirgo, legendo, ac cætera Gerundiorum turba. Præter obliquos in o cum monosyllabis, ut sto, do, famulo: & Græca per o, ut Dido, κλεὼ, Saphὼ. In ω. Egὼ tamen, ut & duo, cito, modo & scio: & illorum posteriorum composita, quomodo & nescio, sæpius corripiuntur. Item aduerbia quędam à nominibus deriuata, ut tanto, quanto, liquido, falso, manifesto, primo, & similia cum obliquis conspirant: præterea genitiui Attici, ut Androgeo, Apollo. Vergil. Aene. 6.

In foribus letum Androgeo.

Vltima in Atho licet ω habeat, tamen ob uocalem sequentem à Vergilio corripitur imitatione Græca: Aut Atho aut Rhodopẽ, aut alta Ce raunia telo. Georg. 1.

R.

In r finita breuia sunt, ut Cęsar, per, uir, uxor, turtur. Excipiuntur far, lar, nar, uer, fur, cur

& par, ac eius composita, & Græca in ωρ, apud nos in er, ut aër, crater, æther, character, & similia. Præter pater & mater, quæ ultimam apud Latinos breuem habent, & id quidem perpetuo: aliquando etiam celtiber & linter, Græca quædam in ωρ, Latinis pro breuibus usurpantur, ut Hector, Nestor, &c.

A S.

In as producuntur, ut amas, musas, maiestas. Excipiuntur, quæ genitiuum in dis uel dos finiunt, ut Pallas, Ilias. Item accusatiui plurales nominum Græcorum tertiæ declinationis in as, ut Palladas, Lampadas, monadas, Arcadas, heroas, &c.

E S.

Es finita longa sunt, ut Anchises, doces, patres, fides. Excipiuntur tertiæ inflexionis, quæ penultimam genitiui crescentis corripiunt, ut miles, seges. Præter aries, abies, Ceres, paries, & pes cum suis compositis, ut bipes, trípes, sonipes. Es quoq; à sum, & cõposita ab eo, ut ades, potes: quibus penes adiungi potest.

Item recti plurales Græcorum nominum, ut Maiades, Arcades ambo. Neutra quoq; in es, ut Hippomanes, Cocoẽthes, Alethes. Reliqua uero Græca in es siue recti siue patrij casus fuerint producuntur, ut Hermes, Thales, Moses, Xerxes, Dialectices, parasceues, pentecostes, Penelopes.

I S.

In is finita corripiuntur, ut Paris, ignis. Excipiuntur obliqui plurales, ut Musis, tẽplis, quêis

pro

pro quibus, cum producentibus penultimam genitiui crescentis, ut Samnis Samnitis. Et in εις per diphthongon, ut Simoεις, Piroεις. Et monosyllaba, ut lis, uis, sis, cum compositis, ut quamuis, adsis. Præter is & quis rectos, & bis apud Ouidium. Extenduntur etiam uelis, malis, nolis, cum secundis personis singularibus quartæ coniugationis, ut audis. Secunda uero persona futuri subiunctiui in ris, & plurali syllabari, ut in prosa oratione, authore Diomede, produci debent, ita in carmine nunc breues, nunc longę reperiuntur.

Y S.

In ys Græca corripiuntur, ut irys, Atys, Chelys, Thetys. Ouid. Thetys & extremo sæpe recepta loco est.

Apud Vergilium cæsura extenditur. Georg. 1.

Teq; sibi generũ Thetys emat omnibus undis.

O S.

Os finita protelantur, ut honos, deos. Pręter compos, impos, & os ossis, & Græca per ομικρὸν, ut Delos, Chaos, Pallados, Lemnos, Arcados, Abydos, Aeneidos. Græca in ως producuntur, ut Androgeos, heros, tros, &c.

V S.

In us breuia sunt, ut deus, tempus. Produc monosyllaba, ut crus, thus, mus, sus, pus. Nomina etiam genitiui crescentis penultimam producentia, ut salus, uirtus. Item omnis casus quartæ inflexionis in us: præter rectum & uocandi casum singularẽ. Græca etiam quæ ους diphthon-

gon finiunt, siue recti siue gignendi casus fuerint, producuntur, ut Iesus, opus, untis. Mantûs patrij casus, ita Kliûs, Διὸς didûs. Polypus interim primam producit more Dorico, qui o in ω uertunt: interim ultimam corripit, abiecta v è diphthongo. Horat. Polypus an grauis hirsutis cubet hircus in alis. Idem, Delectant ueluti Balbinum polypus agnæ. Id quod in alijs huius ceræ uocibus forsitan euenire solet. Græcis enim creberrimum est, huiusmodi syllabam uel producere appositam v, uel abiecta corripere. Vtraq; uenia usus est Maro noster, dum pro opilio upilio dixit, & Syracosio pro Syracusio. Et hoc obseruandum s priscorum more liquidâ fieri, quo fit ut in us syllaba longa interdum corripiatur. Horat. Regis opus, sterilisq; diu palus, aptaq; remis. Capella, Interriuata marmore tellus erat.

Od. 12. in Epo. Sat. 3. lib. 2.

V

V finita producuntur omnia, ut manu, diu, genu, amatu, lectu, &c.

DE CARMINVM RATIONE.

CARMEN est dictionũ contextus, pedũ legibus concinnatus. Metrum dicitur, quod pedum numero metiatur. Carmen unicum, Versus nominatur.

Pes est syllabarum & temporum earundem in carmine certa dimensio.

Pedes sunt triplices. Dissyllabi, Trissyllabi & Tetrasyllabi. Pedes metaphoricôs dicti, quod

ijs

ijs carmen certo numero currat.

Syllabę longę character est –. Breuis uero ∪.

Pedes dissyllabi sunt quatuor, pyrrhichi⁹ ∪∪. Spondeus ––. Iambus ∪–. Trochæus –∪.

Trissyllabi sunt octo. Dactylus –∪∪. Anapestus ∪∪–. Tribrachys ∪∪∪. Molossus –––. Amphibrachys ∪–∪. Amphimacrus –∪–. Bacchius ∪––. Antibacchius ––∪.

Tetrasyllabi sunt sedecim. Proceleusmaticus ∪∪∪∪. Dispondeus ––––. Dijambus ∪–∪–. Ditrochæus –∪–∪. Antispastus ∪––∪. Choriambus –∪∪–. Ionicus minor ∪∪––. Ionicus maior ––∪∪. Pæan primus –∪∪∪. Secundus ∪–∪∪. Tertius ∪∪–∪. Quartus ∪∪∪–. Epitritus primus ∪–––. Secundus –∪––. Tertius ––∪–. Quartus –––∪.

Carmen rite legitur, quum per pedes numeratur, Scansionem uocant. Eruditi Modulationem malunt. D. Eras. Metiri uersum. Quo pacto, inquit, metiendus est hic uersiculus. Angelus Politian. li. 9. epi. 1. Quare ne quæso numeret Angeli Politiani carmĩa lector, sed põderet.

SCANSIO.

Est autem Scansio siue Modulatio legitima carminis in singulos pedes cõmensuratio. Huic accidũt, Collisio, Synçresis, Diçresis & Cęsura.

Collisio est quando uocalis ante alteram in diuersis dictionibus atteritur. Verg. Egl. 3. in Palæmone:

Phillida amo ante alias, nã me discedere fleuit.
O tamen & heu non exteruntur.

Latini poetæ Græcos imitati longam uocalem interdū non expungunt, sed breuē faciunt. Vergilius imprimis hoc sibi permittit, Eglo. 8.

Credim⁹ an q̄ amāt, ipsi sibi somnia fingūt. Idē:

Aeg. 1. Te Corydon ô Alexi, trahit sua quenq; uoluptas. Idem:

Victor apud rapidū Simoēta sub Ilio alto. Idē:

Aen. 3. Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno.

In his longam uocalem breuem reddidit, in sequentibus etiam longa manet. Idem Eg. 7.

Stant & iuniperi & castaneæ hirsutæ.

Et succus pecori, & lac subducitur agnis. Egl. 3.

Túne ille Aeneas quē Dardanio Anchise. Aen. 1.

Fab. 4. Ouid. lib. Meta. 8. Penelopesq; socer, cum Parrhasio Ancæo.

Collisionis duæ sunt species: Synalœpha & Ecthlipsis.

Synalœpha est uocalis ante alteram nulla interueniente consona in fine dictionis elisio. Ouid. Ludunt formosæ, casta est quam nemo rogauit. Interdum fit in una dictione, ut in istis diī, dīs, īsdem, deinde, deinceps, semianimis, semihomo, semiiustus, & huiusmodi. Item in deest, deerat, deerit, prior uocalis plærunque inter numerandum abīcitur.

Ecthlipsis est consonantis M cum uocali prio

Aen. 3. re in numerando suppressio, ut Monstrū horrendum, informe, ingens, cui lumen adēptum. Idem in s aliquoties fit, proxima dictione uel à consonante uel à uocali incipiente. Verg. Aut

ouium

ouium fœtus, aut urentes culta capellas. Catullus, Affixus nostris tu dabis supplicium: hic in dabis sola s expungitur. Ita Lucretius, Arboribus ueteres deciderat falcibus ramos.

Synæresis est quoties ex duabus syllabis inter modulandum compactis, fit una, siue prior uocalis breuis sit siue cõtra. Gręci ἐπίζευξιν siue Επισυναλοιφὴν uocant, frequẽs figura apud illos, unde & Latini didicerunt idem aliquando audere. Verg. Geor. 4. Seu lento fuerint alueâria uimine texta. Idem,

Bis patriç cecidere manus, quin ꝓtinus omniâ.

Rursum, Ferreiq́ Eumenidum thalami & discordia demens. Ouid. Notus amor Phedræ, nota est iniuria Thesei. Tibul. Rure leuis uerno flores apis ingerit alueô. Proper. Eôsdem habuit secum, quibus est elata capillos. Eôsdem oculos, lateri uestis adusta fuit. Verg.

Vna eâdemq́ uia, sanguisq́ animusq́ sequuntur. Idem,

Vno eôdemq́ tulit partu, paribusq́ reuinxit.

Diæresis est, ubi ex dissecta syllaba duæ fiunt. Ouid. Debuerant fusos euoluisse suos. Catullus, Condita quin ueri pectoris euoluam. Statius, Imo agite, & positis, quas nox inopina sua sit. Hora. Cum mihi non tantum furesq́ feræq́ suëte. Lucanus, Fũdat ab extremo flauos Aquilone Suënos. Ver. Aen. 3. Aulai in medio libabant pocula Bacchi. Idẽ. Aen. 9. Diues equûm, diues pictaĩ uestis et auri. Cicero in Arato, Atq́

oculos urget pedibus pectusq; Nepaï: pro Nepæ, id est Scorpij.

Cæsura est cum post pedem quemuis absolutum, ultima dictionis syllaba breuis, quę superest, extenditur. Grȩcis admodum frequens, qua & Latini, Grȩcos imitati, nonnunquã usi sunt,
Diom. li. 3. Græce τομὴ, siue κόμμα nominata, Latine etiam mansio, sectio, incisio. Hæc quadruplex est, τριημιμερὴς, πενθημιμερὴς, ἑφθημιμερὴς, & ἐννεημιμερὴς.

Triemimeris, est cæsura, quæ ex pede & syllaba conflatur. Ver. Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Penthemimeris est, quæ ex duobus pedibus & syllaba redundante consistit. Verg. Omnia uincit amor, & nos cedamus amori.

Heptemimeris est, quæ ex tribus pedibus constat & syllaba. Ver. Ostentans artem pariter arcumq; sonantem.

Enneimimeris est, quoties post quatuor pedes syllaba dictionis ultima supereſt. Verg. Ille latus niueum molli fultus hyacintho. Diomedes & Priscianus latius (quam hic) Cæsuram
Priscianus lib. partitionum 12. in fronte. tractant, in longis etiam syllabis quæ dictionem terminant.

ALIQVOT CARMINVM Genera eorumq; nomenclatura.

Carminum genera nonnunquã inter se commiscentur, unde & nomenclaturam accipiunt.

Monocolon dicitur, quod uniforme uniusq; generis est, ut sunt Bucolica, Georgica, & Aeneis

neis Vergiliana, Metamorphôsis Ouidiana, &c.

Dicolon *distrophon* est, quod ex duobus generibus conflatur, quale est Elegiacum.

Dicolon *tetrastrophon est*, cum post treis eiusdem generis uersus, quartumq; alterius farinæ, ad primum fit reditio, quale est Saphicum cum Adonio Dimetro.

Tricolon tetrastrophon est, cũ post tres diuersi generis uersus reditur ad primum, ut est Od. 21. lib. 1. apud Horatium: apud quem etiam non parum multa carminum genera reperiuntur, queis de Diom. lib. 3.

DE CARMINE Heroico.

Carmen Heroicum, siue Hexametrum dicitur, quod constat pedibus, numero quidem sex, genere uero duobus, Dactylo & spõdeo. Quintum locum Dactylus, sextum spondeus peculiariter sibi uindicat. In reliquis locis pro carminis contextu *Spondeus & Dactylus* promiscue collocantur. *Artificiosum tamen simul & auribus cum primis iucundum esse uolunt carmen*, quo Dactylus regiones omnes, præter ultimã, occupat. Vergilius, Stat sua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus, Omnibus est uitæ, sed famam extendere factis, Hoc uirtutis opus. Aeneid. 10 uerba Iouis

Annotatiunculæ.

1 Vltima cuiuscunq; uersus syllaba, p lõga habetur. Vltimç, n. liberæ & prorsus exleges sunt.

2 Occupat interim ſpondeus quintũ locum, ad imitationem Græcorum, Dactylo quartum ferè locum tenente. Perſius, Sic coſtam longo ſubduximus Apennino. D. Vadianus legit, Sic os tam longo. Ex Bibliotheca Dominicalium Viennæ, quam & ipſe uidi Anno 3.

3 Dactylus aliquando ſextum locum in Hypermetris obtinet, ſed proximo uerſu à uocali inchoante. Verg. Inſeritur uero ex fœtu nucis arbutus horrida. Idem, Et ſpumas miſcent argenti, uiuaq; ſulphura.

4 Interſerunt & alios pedes interdum heroico carmini, ſed parcius. Qualia ſunt illa Vergiliana, Tenuia, nec lanæ per cœlum uellera ferri. Hic primus pes proceleuſmaticus eſt. In illo uero, Fluuiorum rex Eridianus, campos q; per omnes, Anapeſtus primum locum occupat.

5 Interdum poetæ Latini Græca conſuetudine iambum pro ſpondeo in ſexto loco uſurpant. Vergilius: *Mortem contemnunt laudato uulnere Getæ.*

Heroicum id carminis dixerunt, quod eo genere res geſtæ, regumq; ducumq; & fortia facta uirorum cõſcripta ſint: Hexametrũ uero à pedũ (numero.

Typus Hexametri.

–⏑⏑, –⏑⏑, –⏑⏑, –⏑⏑, } 5 6
1 2 3 4 } –⏑⏑, ––.
––, ––, ––, ––, }

DE PENTAMETRO.

Pentametrum eſt, quod quinq; pedibus conſtat:

stat: priores loci duo pedes uel dactylicos uel spondaicos uel alternos comprehendunt, cum syllaba longa: reliqui duo duos quoq;, sed omnino dactylicos, cum syllaba redundante.

Ouid. Fast. 3.

Et cum ciue pudet conseruisse manus.

Typus Pentametri.

$$\left.\begin{matrix} -\cup\cup, -\cup\cup, \\ 1 \quad 2 \\ --, --, \end{matrix}\right\} \quad \begin{matrix} 3 & 4 \\ -, -\cup\cup, -\cup\cup \end{matrix} \quad \left\{\begin{matrix} \cup. \\ -. \end{matrix}\right.$$

ELEGIACVM.

Hexametrum cum Pentametro alternis commixtum, Elegaicum uocant. Est autem lugubre carmen: nam defunctorum neniæ lamentationesq; hoc carminis genere olim decantari solebant. Postea non modo res funebres hoc carminis genere describebant, sed etiam casus afflictorum, amores, iocos, res lætas quoq;, ac item serias, denique omnia ferè quæ affectu uario hominum mentes solicitant.

DE SAPPHICO.

Sapphicum carmen à Sappho puella Lesbia inuentrice illius dictum: à numero syllabarum Hendecasyllabon, à pedum numero Pentametrum. Prima regione trochæum accipit, Secũda spondeum, Tertia dactylum, Quarta & quinta trochæum.

Typus. $-\cup, --, -\cup\cup, -\cup, -\cup.$

Solentq; ita tres uersiculi coniungi, quibus

Adonicus, ex dactylo & spondeo constans, subijci tur, sic:

–uu,–u. Paradigma. Horat. lib. 1. Ode 22.

Integer uitæ, sceleris q; purus,
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec uenenatis grauida sagittis
Fusce pharetra.

DE IAMBICO.

Iambicum carmen primò maledicentiæ dicatum, ἀπὸ τῆ ἰαμβίζειν, insectari, contumelia afficere, siue ab ἰάπτω maledico, conuitior, lædo. Postea alijs rebus quamplurimis accommodatum. Archilochus siue huius carminis author fuerit siue celebrator potius, tanta fuit acerbitate hoc carminis genere, ut ad laqueũ adegerit Lycãbẽ. Huius duo sunt genera, Dimetrũ & Trimetrũ.

Dimetrum Archilochium acatalecticum est, quod iambis quatuor constat, admittens & locis imparibus etiam spondeum.

Typus.

u–, u–, u–, u–,
1 2 3 4
–, –.

Ad hunc modum Ecclesiastici hymni quàm plurimi cõpositi sunt: ut, Veni redemptor gentium. Iam lucis orto sydere. Te lucis ante terminum. Lucis creator optime. Veni creator spiritus, &c. Dimetrum dictum, quod ob iambi ce leritatem bini pedes pro uno computentur.

Trimetron Hyponactium acatalecticum sex pedibus

pedibus constat. Senarium uocant: quoq; plus iamborum recipit, hoc uenustius exit.

Typus.

1 2 3 4 5 6

∪–, ∪–, ∪–, ∪–, ∪–, ∪–, uel ∪∪,

––, ––, ––, Spondeus.

––∪, –∪∪, –∪∪, Dactylus.

∪∪–, ∪∪–, ∪∪–, Anapestus.

∪∪∪, ∪∪∪, ∪∪∪, ∪∪∪, ∪∪∪, Tribrachys.

Admittit & in secunda & quarta regionibus spondeum, dactylum & anapestum, sed cum minore gratia. Quod si in fine spondeum habet σκάζοντα, id est claudicantem appellant.

DE PHALECIO.

Phalecium pentametrum hendecasyllabon, spondeo, dactylo & tribus trochęis confit: quo genere Catullus & Martialis oblectati sunt. Admittit & in prima regione iambum & trochæũ. In tertia quoq; iambum inuenias, sed admodum rarenter.

Typus.

1 2 3 4 5

––, –∪∪, –∪, –∪, –∪, uel ––.

DE ASCLEPIADEO.

Asclepiadeũ ab inuentore Asclepiade medico dictum, & Choriambicũ à pedis Choriãbi dominio: quatuor pedũ numero constat. In prima regione spondeum recipit, in secunda & tertia choriambũ, in quarta pyrrhichiũ aut iambum.

Jam Valib ãnor mi
Pigebat Dacis Stannum

Typus.

1 2 3 { ∪∪.
--,-∪∪-,-∪∪-, { 4
{ --. Prudentius,

Inuentor rutili dux bone luminis
Qui certis uicibus tempora diuidis
Merso sole, Chaos ingruit horridum.
Lumen redde tuis Christe fidelibus.

Sunt & alia complura carminũ genera, quorum rationem apud Diomedẽ, modulationem apud Horatium, Martial. & Catul. exacte cognosces. Nos ad Tonum pueris scitu imprimis utilem ac necessarium conuertamur. Est enim barbarismus, dictionem perperam nec suo tono pronunciare.

DE TONO.

Tonus est lex & regula eleuandi deprimendiue syllabam. Est autem uelut anima uocis, & quemadmodum nulla sine uocali reperitur syllaba, ita nullam absq; tono offendes. Tonus est triplex, Acutus, Circumflexus, & Grauis. *Acutus* est qui syllabam eleuat. *Circumflexus* qui sonum inter acutum & grauem in dictione obtinet. *Grauis* est qui syllabam deprimit. Estq; omnium in dictione uel sesquipedali syllabarum occupator, ubi nec acutus, nec circumflexus apparet: ob id Syllabicus dictus.

Acutus ultimam in dictione syllabam occupat, ut páx: penultimam, ut térra: antepenultimam,

mam, ut adamántinus, nec ultra progredi potest, quantumuis polysyllaba uox sit. Circumflexus ultimæ insidet syllabæ, ut dôs. Et in his quæ per Syncopen proferũtur, ut primâs, optimâs, Arpinâs, alpinâs, &c. de quibus in generibus nominum. Occupat etiam penultimam syllabam, ut sônus. Grauis omnes posidet in dictione syllabas, quæ nec acuuntur, nec circumflectuntur, ut iam dictum est. De tono igitur quærentes acutum uel circumflexum significamus. Acutus tamen & circumflexus in lectionis consequentia uertuntur in graues, præterquam in fine clausularum.

TONORVM REGVLAE.

Omnis dictio aut est monosyllaba, aut dissyllaba, aut polysyllaba.

Monosyllaba dictio breuis, aut positione lõga, acuitur, ut mèl, fèl, ârs, pârs, pâx. Natura longa circumflectitur, ut spês, flôs, sôl, thûs, rûs, &c.

In dissyllaba dictione si prior longa fuerit natura, posterior breuis, prior circumflectitur, in cæteris acuitur, ut lûna, Mûsa, Rôma: citus, látus, sólers. At cum circumflexus hodie ab acuto uix discernitur, de dissyllabis Grammatici hanc regulam sanciunt. Omnem uidelicet dictionem dissyllabam priorem acuere.

In polysyllabis penultima obseruanda est apud Latinos, ut ultima apud Græcos. Quod si penultima breuis fuerit, antepenultima acuatur: sin longa, tonus acutus in eandem syllabam

Differunt Quantitas & Accentus.

cadat. Hinc liquido est cernere, non idem esse acui quod produci: quantitas enim nihil commertij habet cum tono, nisi quòd ex quantitate tonus colligitur. Sunt qui de tono paulò acutius differunt: hic tamen de eo crassa, quod aiũt, Minerua tractare placuit. Vide Diomedem, Priscianum, & Seruium Honoratũ in Aelium Donatum.

Sex numero sunt res, quæ tonorum regulas conturbant.

1 Differentia, Græce Diaphora, ut unà aduerbium, ergó pro causa, putá pro sicut, ponć, palám, porró, eó, illó aduerbia, aliâs, dćinde, súbinde, pćrinde, éxinde, próinde, nć, & siquando: etiam aliquando, teste Prisciano. Item præpositiones omnes acuuntur, nisi per anastrophen proferantur. In consequentia tamen lectionis omnia hæc grauantur.

2 Abscisio, Grćcè Apocope, tonum transfert, Vergili, Valćri, Mercúri. Item gentilia in as, ut Alpinás. Tum adhuc, illuc, isthuc, & composita à dic, duc, fac, &c.

3 Transpositio, Grćcè Metathesis, tonum inuertit, cum uocula uidelicet transponitur, ut usu uenit in præpositionibus per anastrophen prolatis, ut Transtra per & remos. Itẽ Te penes imperiũ, &c. Rursus, Præter maria oĩa circum.

Inclinatiuę particulæ.

4 Attractio, Græcè Enclisis, tonum mutat, ut pleráqȝ, unicuíqȝ, cuiqȝ, ubiqȝ, putásne. Dictiones

nes enim Encliticæ in calce dictionum positæ, præcedentem syllabam eleuant. Porrò hæ dictiones, undiq́, deniq́, hoccine, utiq́, itaq́, antepenacutæ sunt. Que enim coniunctio non facit enclisin, teste Diomede lib. 2. de Accentibus, nisi completiua sit coniunctio siue copulatiua, utpote quando diuersa orationis pars est ab eo cui iungitur: próinde. Itáq́ apud Terentium non uno in loco penacuitur, cum duæ dictiones sint: ita quiq́, quóq́ id est, & quanto. Vnde colligitur (Que) in nonnulis dictionibus syllabicam duntaxat epactasin esse, quo modo Ce in quibusdam pronominibus & aduerbijs, ut hisce, illicce, &c. Prisicianum uide libro 5. de Figur.

Que quando enclitica uox. Priscianus lib. 5. de figuris

5 Idioma, hoc est linguæ proprietas, tonum immutat, ut si Græcæ dictiones integre ad nos ueniant, Græcum tonum non repudiant, ut philosophia, theologia, prosodia. At in nonnullis utimur accentu Romano, ut in historia, comœdia, tragœdia. Próinde qui Græcã figurã in Græcis uocib. sequi malit, nõ Latine quidẽ, sed citra reprehensionẽ loquetur. Ita Fabius lib. 1. ca. 10.

6 Interrogatio, Græcè Ερώτημα, tonum cõfundit, ut, Quis furor ô ciues? In commatis enim, membris & periodis interrogatorijs ultima dictionis syllaba eleuatur, ut Vbi uitã agis? Quomodo hunc uersiculum metiris? Verg. Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames? Quid times? quid trepidas? quid sudas?

Appendix.

Barbaræ ac peregrinæ dictiones ferè ultimã acuunt, quare si Latinam terminationem assumunt, tonus pedem è sua statione neutiquam mouebit, ut Adámus, Abrahámus, Ioséphus, Iacóbus, &c.

Prosodiæ finis.

DE ETYMOLOGIA.

ETYMOLOGIA est originis uocum Latinæ linguæ cunctarum inquisitio, ab ἔτυμος uera, & λογία locutio, Latinè Veriloquium dici potest, uerbum uerbo redditum. Huius sanè materia est Dictio, quæ sic definitur.

Veriloquiũ: nam uocis ueritatẽ ac originem declarat.

Dictio est uox significatiua, syllaba syllabisue concreta, ut stirps, subscus, sesquipedale. Dictio dicta, quod aliquid dicat, hoc est, significet.

Dictio.

Dictionum genera sunt octo, quæ orationis partes uocantur, Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Aduerbium, Præpositio, Coniunctio, Interiectio. Quarum priores quatuor inclinabiles, ac flexiles sunt: posteriores uero immobiles, inflexiles, uniformes, hoc est indeclinabiles existunt.

DE NOMINE.

NOmen est pars orationis cum casu, corpus aut rem, proprie, communitérue significans. Corpus, ut Pyrausta, cinclus. Res, ut uirtus. Proprie, ut Tigurum, Rauenspurgũ, Rhenus.

nus. Communiter, ut Vrbs, oppidum, flumen.

Nomen dicitur, quod uniuscuiusque rei nomenclaturam demonstrat ac notat, quasi notamen, media syllaba per syncopem subtracta, uel à Græca origine παρὰ τὸ ὄνομα. Proprium est nominis, significare substantiam simul & qualitatem. Porrò omne nomen aut Proprium est, aut Appellatiuum. Proprium nominis.

Proprium nomen est quod rem uni indiuiduo propriã significat, ut Iesus, Maria, Rhenus, &c. Habet quinq; species, Prænomen, Nomen, Cognomen, Agnomen & Homonymum. Prænomen est quod uel differentiæ causa uel ritu ueteri pręponitur, aut Aulus, Pub. Mar. &c. Quę Tito Probo authore, non ante pueris quàm uirilem togam sumerent, puellis quàm nuberent imposita sunt. Hæc autem singulis literis notantur, ut C. Cæsar: aut binis, ut Cn. Pompeius: aut ternis, ut Sex. Roscius. Vide Priscian. lib. 2. De nomine. Nomen est, quod suum cuiq; est, ut Paulus, Tullius. Cognomen, quod cognationis est commune, ut Scipio, Gracchus, Fabius. Agnomen est quod ab aliquo euentu est impositum, ut Africanus, Isauricus, Germanicus. Proprium nomen. Pronomẽ. Nomen. Cognomẽ. Agnomen.

Homonymum est quod una uoce ab euentu plura indiuidua significat, ut Pyrrhus, Alexander, Ioannes, &c. Hoc prædictis proprij nominis speciebus intermistum iri cõstat. Sunt autem propria aut primæ positionis, ut Iulus: aut deriuata, ut Iulius à Iulo, Priamus ἀπὸ τȣ̃ πρίασθαι. Homonymum.

Oceanus. Auroræ.

Complura reperiuntur nomina, quæ modo proprij, modo appellatiui naturam obtinent, ut Oceanus, quando partes eius significat, pro appellatiuo ponitur. Aurora pro dea proprium, pro parte dici appellatiuum. Item Felix, Clemens, Fortunatus, Turnus, & id genus multa.

Appellatiuum.

Appellatiuum nomen est, quod rem multis communem significat. Adiectiua neutra in constructione nonnunquam appellatiuorum uim obtinent. Appellatiuum diducitur in substantiuum, adiectiuum, & ambiguum siue medium.

Macro. lib. satur. 1. capit. 4. Postum. 1. substantiuum scripsit.

Substantiuum est, quod adiectiuo iungitur, nec de uoce in uocem per tria genera uariatur. Illud est duplex, Principale & Deriuatum.

Principale Corporale. In corporæ. Absolutũ.

Principale siue primitiuum, est quod ex se nascitur: & hæc subiecta continet. Corporale est, quod tacto aut uisu percipitur, siue quod sensibus exterioribus expositum est, Vocabulum appellant, ut terra. Incorporale siue appellatio est, quod sola *mente comprehẽdi potest*, ut uirtus, *uitium, & qualitates animi, &c.* Absolutũ, quod per se intelligitur, nec ab aliquo pendet, ut deus, ratio, anima, mens, &c.

Generale. Speciale.

Generale est, quod in multas ac diuersas species distrahitur, ut animal, planta. Speciale est, quod generi subijcitur, ac ex genere diuisionem sortitur, ut homo, uitis.

Homonymum. Aequiuocũ Synonymũ

Homonymum est, quod res plures & quidem diuersas significat, Latinè Aequiuocũ, ut canis, leo, uinea, aries, taurus, &c. Synonymum est, quod cum alijs nominibus significatione conuenit,

uenit, ut ensis, mucro, machæra, &c. Collectiuũ est quod singulari numero aliquam multitudinem significat, ut concio, cœtus, turba, &c. Ad aliquid dictum πρός τι est quod sine intellectu illius, ad quod dictum est, proferri nequit, ut pater, filius: maritus, uxor. Hæc interdum adiectiua sunt, ut propinquus, uicinus, amicus, &c. Quasi ad aliquid dictum est, quod cum contrarium & quasi semper adhærens habeat, tamen sine illo & intelligi & proferri potest, ut dies, nox: dextra, sinistra: lux, tenebræ.

Collectiuũ.

πρός τι

Quasi ad aliquid dictum.

ὡς πρός τι.

Temporale est, quod suapte natura tempus significat, ut annus, mensis, septimana.

Tẽporale.

Deriuatiuum siue deriuatum est, quod aliunde originem sumit. Et ex ipsa significatione ac rerum natura facile cognoscitur, ut à nomine arma deriuatur armo as. Habet autem has species subiectas.

Deriuatiuum.

Denominatiuum proprie est, quod non ab aliqua speciali significatione, ut cætera deriuata, sed à uoce principalis generalem sibi uindicat appellationem, ut duritia, fortitudo, iustitia, cantilena, frugi à fruge, à ceruice, ceruical, &c. Priscianus lib. 4. Græce παράνυμον, id est, à nomine deductum.

Denominatiuum.

Contentiuum siue comprehensiuum, Græce περιεκτικόν, Est quod in seipso aliquid comprehendit contentum, ut Lauretum, uinetum, coryletum, carectum. Hæc in etum & ectum exeunt.

Contentiuum.

Factitium. *Factitium* siue fictitium, Græce ποιητικὸν, Est quod à soni alicuius rei proprietate per imitationem dicitur. Vel est quod à rei alicuius sono formatum est, ut tintinnabulum, sibilus, murmur, stridor, clangor, hinnitus, mugitus.

Verbale. *Verbale* nomen est quod à uerbo originem trahit, ut lectio, religio, dictio, cubile, uigil, &c.

Patrium. *Patrium* est quod aliquid ex patria significat, ut Tigurinus, Vangianus. Est enim patria, authore Nonio, urbs uel ciuitas parentum.

Gentile. *Gentile* est quod aliquid aut ex gente uel natione significat, ut Hebræus, Græcus, Hispanus, Sueuus, Heluetius, Almangauus Algöwer.

Patronymicum. *Patronymicum* est quod à propris tantum modo patrum deriuatur nominibus Græca forma, quod cũ primitiui genitiuo filium uel nepotem, filiã uel neptem significat, ut Aeacides Aeaci filius uel nepos, Nerine Nerei filia uel neptis. Abusiue ab alijs quoq; proprijs & Græcis nominibus deriuantur. A matribus, ut Latoides Latonę filius Appollo, Phillyrides, Chiron. Ab auo materno, ut Atlantiades Atlantis natæ filius, Mercurius. A fratribus, ut Phaethontiades. A maritis, ut Menelais, Helena. A maioribus, regibus siue conditoribus, ut Cecropidæ, Aeneadæ, Romulidæ.

Patronymica Græca sunt, quibus solum in carmine utimur. Terminationes (quas Latinitas in usu habet) quatuor sunt: Es masculinorum, As, Is, & Ne fœmininorum, ut Priamides, Ilias,

Ilias, Priamis, Adraſtine, Acriſione. In ne Iadis linguæ ſunt, & penultimam producunt. Patronymica utroq; numero inclinantur. Suntq; appellatiuæ qualitatis. Non raro inuenias nomina Denominatiua, Propria & Gentilia, quæ patronymicorum faciem præ ſe ferunt, ut Euripides, Bacchis, Pythias, Theſſalis, Argolis, Ias, Troas, &c.

Diminutiuum eſt quod diminutionẽ ſui principalis abſolute demonſtrat, ut regulus paruus rex, Græce ὑποκοριστικὸν dictũ. Adiectum eſt Abſolute: nã Cõparatiua neutri generis pariunt de ſe Diminutiua comparatiua, in culus, a, um, quæ cum reſpectu diminutionẽ ſignificant, ut maiuſculus paulò maior quàm qui magnus eſt. Priſc. lib. 2. Diom. li. 1.

Hypocoriſtica inuẽta ſunt uel neceſsitatis cauſa, ut lepuſculus: uel urbanitatis gratia, ut fraterculus: uel adulationi conueniunt, maxime puerorum, *ut corculum, Sergiolus:* deniq; contemptui ſeruiunt, *ut homuncio, naſutulus.* 1 2 3 4

Terminationes maſculinorum tres ſunt, lus, cio, leus, ut nepotulus, puluiſculus, agellus, ocellus, homuncio, equuleus. Fœmininorum una, la, ut Anicula, animula, fidicula, auricula, quod ſignificatione à primitiuo diſſentit, ſyluula, unciola, fraudula, capella, maxilla, fornacula. Neutrorum una, lum, ut puluiſculum, lucellum, uillum, tigillum, ſigillum. Diminutiua nonnunquam in tertium gradum creſcunt, ſed quo magis numerus creſcit ſyllabarum, hoc magis ſi- *Plautus in milite glor.* Venereum nepotulum ſcripſit.

gnificatio minuitur, ut homo, homulus, homullus, homullulus: quędam in secundum gradum, admodum pauca in tertium deduci queũt Vsi sunt etiam authores quibusdam Græcis diminutiuis nominibus. Terentius, Aedepol Syrisce te. Vnde & quidam hodie licentiose dicunt Ioannisćus Hänßli, Petrisćus Peterli, &c.

Obseruatio. Obseruabis multa nomina, quæ cum diminutiua non sint, formam tamen eorum mordicus tenent, ut Cuniculus, Metellus, Camillus, tabula, nouacula, amiculum, curriculum, cubiculum, uinculum, queis de Valla, lib. 1. cap. 5.

Adiectiuũ. *Adiectiuum* nomen est quod sine altero, cui adhæreat, consistere in oratione non potest. Vel est quod proprijs aut appellatiuis substantiuis adijcitur. Et est duplex, Proprium & Commune.

Adiectiuũ proprium. Adiectiuum proprium est quod affectionem uni indiuiduo peculiarem significat, ut Ennosigæus Neptuno, *Gradiuus Marti*, Quirinus Romulo. *Hæc tamen aliorũ adiectione nominum haud egent, quomodo communia adiectiua*, Græce Ἐπώνυμον. Adiectiuum Commune est quod significationẽ suam pluribus & in commune confert. Et hoc uel laudem, uel uituperationem, uel medium inter illa, aut accidens significat, ut bonus, malus, magnus, niger, &c. Et illud est duplex, Principale & Deriuatum. Principalis subiecta sunt hæc.

Adiectiuũ commune.

Interrogatiuum. Interrogatiuum nomen est per quod de re qua-

quapiam quærimus. Est autem duplex, Substantiæ & Accidentis.

Interrogatiuum substantiæ est per quod de proprio, appellatiuo, uel demonstratiuo prono mine quæritur, ut quis, uter, nunquis, ecquis pro num aliquis.

Interrogatiuũ accidentis haud secus ac Chamæleon se uariat. Nam aut de qualitate quærit, ut qualis: aut de magnitudine, ut quantus: aut de numero, ut quot: aut de ordine, ut quotus: aut de possessore, ut cuius, a, um: aut de patria sectáue, ut cuias: aut de modo rationéue, ut cuiusmodi: aut de uno multiplicato, ut quotuplus & quotuplex: aut de ætate siue annorum numero, ut quotennis.

Hæc interrogatiua cum non suo funguntur officio, in nomina, aut infinita subiuncta, aut relatiua demigrant.

Infinitum subiunctum est nomen interrogatiuũ *infinite, non erotematice sumptum, ut Scio* quid coner, *Nescio quid garriat, Dic quid uelis.*

Nomen *relatiuum* est, quod nos ad aliquid notum, uel certe in oratione prius positũ, remittit: olim prouocabulũ dictũ, ut qui, quæ, quod.

Redditiuũ est quod relatiuũ ipsum uel præcedit, uel sequitur, *Vt talis erat Hermolaus, qualis erat Theodorus. Quot hominum tot sententiæ. Sunt* autem numero hæc, *Talis, tantus, tot, huiusmodi, eiusmodi, istiusmodi:* & ad quotus *totidem, Interim* quippiam aut demonstrantes

aut admirantes, his uti solemus, ueluti digito demonstrans dicam, Talis erat Erasmus: &, Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Aeneid. 1.

Numerale. *Numerale* nomen est quod numerum demonstrat. Habet uarias species.

Cardinale est quod numerum absolute significat. Cardinale dicitur, id est, principale, à quo alij originem trahunt, ut unus, duo, tres: unum duo tria, &c.

Reliquæ species in album deriuatorum inscribi deberent, sed ordinis ac materiæ gratia in hunc locum coaceruare placuit.

Nomen ordinale est quod numerum in ordine commonstrat, uel quod ultimum eius numeri significat, ut Secundus, Tertius, Quartus, Quintus, Decimus, id est qui ultimus ex decem est. Primus tamen in ordine ad plures sequentes refertur. Aliquando significat unum quidquis è tali numero, ut centesimam partem bonorum patris assecutus sum, id est unam è centum. Interdum numerus est multiplicatiuus, ut ager hic centesimum fructum attulit, id est centenarij numeri fructum, siue centuplum, hoc est centies tantum quantum sementis acceperat.

Numerale diuisiuum, diuiduum, siue distributiuũ. Græce διαιρετικὸν, est quod singulis multorum eundem numerum distribuit, ut singuli, bini, terni, quaterni, quini, ut Creabantur olim bini consules, id est singulis annis duo. Poëtæ his nominibus frequentius singulariter utuntur.

tur. Oratores uero utroq; numero, sed crebrius plurali, præsertim ubi substantiuum nomen, cui adduntur, tantum pluraliter inflectitur, ut unæ, binæ, ternæ literæ, binæ nuptiæ, quaterna mœnia, &c. Interim pro Cardinalibus usurpantur, ut septeno gurgite Verg. dixit, id est septenarij numeri. Duodena astra, id est duodecim. Plinius, Binis utrinq; lateribus, id est duobus.

Id Plinio ac rusticarum rerum scriptorib. in frequenti usu est.

Numerale in rius est, quod diuersæ rei quàm appellatiui, quod cum illo construitur, numerũ indicat. Vel quod numerum indicat aliarum rerum, quæ non nominantur, non suipsius multiplicationem, ut binarius, ternarius, quaternarius, &c. Lapis centenarius, non qui centuplus est, sed qui centum est librarũ: homo quinquagenarius, quinquaginta annorum.

Numerale nomen in plus, a, um, est quod unum in se multiplicat: quod ad numerum uel pondus proprie referri potest, ut duplum, triplum, quadruplum, quintuplum, & similia. Plin. de Elephanto, palmo quadruplo maior quàm bubulo.

Numerale in plex est, quod rem omnẽ multiplicat. Hæc rerum partes significãt, ut simplex, duplex, quintuplex, &c. Vide Prisc. in lib. De põderibus & mensuris. Vallam lib. 3. cap. 5.

Partitiuum nomen, est quod uel multa singillatim, uel unum ut ex multis significat. Multa singillatim, ut unusquisq;, quisq;, uterq;, neuter: unũ ut ex multis, ut alter, alius, cætera & reliqu⁹.

Partitiuũ.

Vniuersale

Vniuersale nomen est, quod totam naturam eius, cui additur, uerbo subijcit. Dedicatiuum, ut omnis, cunctus, uniuersus. Abdicatiuum, nullus, nemo, nihil.

Vniuersale infinitum est, quod ex simplici interrogatiuo nascitur, uel eo geminato, uel illi cũq; adiecto, ut quisquis, qualisqualis, quãtusquantus, quotusquotus, uteruter, quotquot, quicunq;, quãlscunq;, quantuscunq;, quotuscunq;.

Particulare.

Particulare nomen est, quod appellatiui, cui additur, partem aliquam, non totam eius naturam uerbo subijcit. Vel quod minus certam definitamq; rem exhibet quàm proprium, ut aliquis, quisquam, quispiam, ullus, quidam. Vide Linac. lib. 1. & Vallam lib. dialect. 2. cap. 25. Et lib. Elegan. 3. cap. 26. & 63.

Particulare infinitũ est, quod proprie unũ è multis, sed indifferenter hunc uel illum significat, ut quilibet & quiuis. Additur his alteruter, quod unũ simili ratione ex duobus significat. Cõsule Erasmũ 1. lib. De uerborũ copia. ca. 47.

Adiectiuum deriuatum (ut principale) plures quoq; species habet.

Nomẽ possessiuum.

Nomen possessiuum est, quod cum genitiuo principali aliquid eorũ quæ possidentur significat, ut Euandrius ensis. Vel est, quod aliquid significat ueluti possidentis, uel ad quid spectat quippiam, ut herilis, paternus. Cicero his ponius quàm primitiuis delectatus est.

Terminationes possessiuorum.

Terminationes possessiuorũ sunt quatuor,

Cus

Cus à Græcis sumpta. Vs purum, tam Græcis quàm Latinis apta possessiuorum terminatio. Rius & nus: ut Cardiacus, Grammaticus, Peripateticus, Pythagorêus, spondeus, ferreus, illigneus & iliceus, Thratius, tabellarius, Censorius, frumentarius, humanus, &c.

Mar. Cato Illigneę subscudes. Iliceæ trabes. Strat.

Possessiua originem trahunt uel à nominibus, ut à Cæsare Cæsareus: uel à uerbis, ut ab opto optatiuus: uel ab aduerbijs, ut ab extra extraneus. Sunt autẽ uel mobilia, ut marmoreus, a, um: uel fixa, ut sacrarium, donarium, armarium, &c. Valla lib. 1. cap. 6.

Possessiua autem dicimus, non solum possessionem significantia, sed etiam quæ formam illorum præ se ferunt, significatu uero dissentiũt, ut sunt nomina materialia, ut ferreus: de quibus infra. Nomina professionum, ut Mathematicus, Aristotelicus, Socraticus. Nomina à moribus deducta, ut Cardiacus. Denique illa quæ similem cum primitiuis significationẽ obtinent, ut Thracius pro Thrax. Præterea quæ in rius exeunt, alia ab officijs nomen usurpant, ut tabellarius, ærarius. Alia à dignitatibus, ut Quæstorius, Censorius. Etiam quæ in nus, ut Tribunus, Antesignanus. Alia à rebus de quibus sunt, ut collarium, quod in collo est. Alia à rebus de quibus sunt, ut frumẽtaria lex. Alia ex his quas continent, ut armarium. Sunt item quædam in nus à temporibus, ut matutinus, nocturnus, antelucanus, ueteranus. A generibus, ut

Podagricus. Splenẽticus. Hepaticus.

Nomina in rius.

In nus.

masculinus. A mutis animalibus, ut taurinus. A fortuna, ut libertinus, egenus, &c.

Possessiua quædam etiam gentilia esse possunt, ut Romanus pro ciue patrium: Romanus ager possessiuum. Quædam autem & propria, eadem & gētilia & possessiua, ut Latinus filius Fauni, Latinus ciuis, & Latinus ager. Alia duntaxat propria, formæ possessiua, ut Quintilianus, Iulianus. Ex eadē forma agnomina quoq; multa inuenies, ut Africanus, Persicus, Getulicus, Germanic⁹. Lege Prisc. li. 2. Val. li. 1. ca. 6. 11.

Porrò complura adiectiua deriuata in er & is apud Latinos possessiuæ significationis inueniuntur, ut ciuilis, hostilis, cœlestis, lunaris, castrensis, equester, pedester, palustер, &c.

Possessiua à nominib. Græcis, colores, gemmas, unguenta, materiamq; (ut aiunt) netilem significantibus, deducta, penultimam corripiunt, & accentum acutū in tertiam à fine transferunt, ut práſinus, ſandícinus, ſmarágdinus, amarícinus, cryſtállinus, carbáſinus. Hoc itidē faciunt & ab arboribus deriuata materiam significantibus, ut faginus. Et quæ ab aduerbijs nascuntur temporalibus, ut crastinus, hornotinus, diutinus.

Materiale. Nomen materiale est, quod aliquid ueluti ex materia significat, ut fáginus, abiegnus, colurnus, lapideus, testaceus, aureus. Vide Vallam lib. 1. cap. 11.

Locale. Nomen locale, Græce οἰκωνυμικὸν, est, quod ali-

aliquid ut ex loco significat, ut hortensis, marinus, maritimus, mõtanus, cœlestis, Hispaniẽsis.

Aduerbiale. Nomen aduerbiale est, quod ab aduerbio deriuatur, ut hodiernus, hesternus, clandestînus pen. longa.

Participiale. Nomen participiale est, quod à participio nascitur, ut amans. Et quæ in ilis exeunt, ut fictilis, coctilis, pensilis, flexilis, &c. Vide Vallam lib. 1. cap. 8.

De nomine comparatiuo ac item superlatiuo, quæ & ipsa deductitia sunt, mox dicemus.

Ambiguũ. *Nomen ambiguum* siue medium est, quod modo substantiui, modo adiectiui naturã obtinet. Hæc autẽ partim è mobilium castris prodeunt, ut amicus pratis humor, amica frugibus æstas, amicum terræ sydus, amicus homo, amicus certus in re incerta cernitur. Ita inimicus, diues, natalis, molaris, &c. Partim è fixorũ cohorte sunt, ut *artifex, rex, ciuis*, consul, princeps, pater, seruus: & *uerbalia in tor et trix finita*, quę quidem plæraq; *artium, professionum, officiorum*, & agentium nomina sunt, ut scriptor, sutor, doctor, orator, Imperator, consultor, amator, cursor, monitor.

Porrò hæc ambigua substantiua quidẽ sunt, quoties uel per se subsistunt, uel alia sustinent, ut regem elegantem narras. Ouid. Victus meretricis amore: &, Iustus ut palma florebit. Adiectiua uero sunt, quoties alteri innitũtur. Vergilius, Populum late regem scripsit. Et Martia-

Zasius. Adulterij crimen ultore ferro puniri lex iubet.

Persius Satyra 5 Artificem uultũ scripsit.

ἀσυμφωνία Inconsonãtia, uocis absurditas.

lis, Exploratores focos. Horatius Risores satyros. Lucanus, Victrici uiscera dextra. Plin. Virtam artificis ingenij uidebatur. Et illud, Principibus placuisse uiris, non infima laus est: & id genus plurima. Obseruabis hic obiter uerbalia in sor, fœminina in trix, propter ἀσυμφωνίαν et inconcinnitatem, de se formare non posse. Præter expulsor, expultrix: tonsor, tonstrix: assessor, assestrix: nutritor etiam nutrix format, media syllaba sublata euphoniæ gratia. Cicero in Timęo defenstrix protulit. Sunt demum nomina, quæ nec in toto fixa, nec in toto mobilia sunt, Gręce γένη κοινὰ ἀνομιοκατάληκτα dicuntur, ut sunt nomina quędam masculina 2. & 3. declinationis, quę fœminina de se formant primæ inflexionis, ut rex, regina: leo, leęna & lea: lupus, lupa: columbus, columba: draco, dracæna: leno, lena: strabus siue strabo, straba, &c.

ACCIDENTIA NOM. SEX.

Nomini accidunt sex, Comparatio, Genus, Numerus, Figura, Casus & Declinatio.

DE COMPARATIONE.

Adiectiua.

Motio.

Comparatio est elatio cum relatione ad alterum, id quod in adiectiuis fieri solet: Quæ iure id nominis habent, quod illis nominibus, quæ substantiam præ se ferunt, adijciuntur. Ea porrò omnia in prima positione mobilia sunt, semper per tria genera, & uel per tres terminationes, ut hic uenustus, hæc uenusta, hoc uenustũ: uel per duas terminationes, ut hic & hęc humilis,

lis, & hoc humile: uel per unam terminationẽ, ut hic & hæc & hoc sapiens, iners. Comparantur autem adiectiua illa, quæ tum qualitatẽ tum quantitatem significãt, quorum uidelicet significatio augeri minuíue potest, sed quæ apud scriptores classicos comparata leguntur. Antiqui in quibusdam proprijs etiã nominibus, ac item gentilibus, comparatiuis usi sunt, nempe cum eorum significatio fit accidentalis. Plautus in Penulo, Quin nullus est me Pœnus (siue Punus) Punior, id est qui Punicam linguam melius sonare queat. Potest prouerbialiter dici Pœno Punior, id est, magis perfidus. Item Nerone Neronior, id est, crudelior, sed abusionem esse dicunt.

Act. 5 sce. 2 Prisc. lib. 3. Punus legit

Gradus cõparationis tres sunt, positiuus, comparatiuus, & superlatiuus. Positiuus, positio, simplex, absolutus, perfectus, principalis, unius rei plura nomina. Comparatiuus medius, Superlatiuus *summus dicitur.*

De comparatione.

Positiuus est prima uox adiectiui, unde comparatiuus & superlatiuus formantur. Hic per quinq; genera uagatur. Masculinum, ut peritus. Fœmininum, ut perita. Neutrum, ut peritum. Commune, ut hic & hæc fortis. Omne, ut hic & hæc & hoc solers. Varios sortitur exitus.

Positiuus.

Comparatiuus est, qui supra positiui significationem magis significat, uel qui excessum absoluti sui, unius pluriúmue respectu demonstrat. Duas habet terminationes, or generis cõmunis

Comparatiuus.

& us neutri generis, ut uenustior, uenustius. Vetustissimi comparatiuum neutrum etiam in or finiebant, teste Prisc. lib. 7. de ablatiuo singulari tertij declinatus, ut bellum Punicum posterior, & fœdus prior Pompeianum non esse seruatũ. Nobis tamen neutiquam imitandum.

Regulæ formandi Comparatiui.

Prima regula.

Comparatiuus fit regulariter à casu sui positiui in i exeunte, addita or uel us, ut cãdidus candidi candidior uel us, amicus amici amicior, pudicus pudici pudicior uel us, fortis forti fortior & us in neutro, salubris siue saluber salubrior & salubrius, siniſter siniſtri siniſterior format: sic dexter.

Secunda regula.

Adiectiua uocalem ante us uel is habentia, frequenter positiuum & *magis* aduerbium pro comparatiuo subiiciunt, ut *dubius magis dubius*, ita egregius, arduus, idoneus, strenuus, tenuis, industrius, ceruleus, &c. Hoc fortasis fit ne nimius uocalium concursus hiulcam uocis pronunciationem faciat. Adiectum est autem (frequenter) quod nonnunquam comparatiua illorum apud scriptores neutiquam triuiales rite formata leguntur. M. Varro libr. 1. capit. 23. Rectius, inquit, in tenuiore terra, ea quæ non multo indigent succo. Plin. Animalia sapientiora quibus sanguis tenuior. Plaut. Nã strenuiori de-

Act. 3. Scen. 4.

deterior, &c. Cato, quod iter longius arduiusq; erat à curia.

Tertia regula.

Adiectiua positiui gradus à uolo, dico, facio & loquor, ascititium comparatiuum ac superlatiuum habent. Comparatiua enim in entior, superlatiua in entissimus exeunt, ut beneuolus beneuolentior beneuolentissimus, maledicus entior entissimus, magnificus entior entissimus. tardiloquus entior entissimus. Leguntur tamen hi superlatiui regulares beneficissimus, mirificissimus, magnificissimus. Vide Prisc. lib. 2. De comparatione. Vallam lib. 1. cap. 10.

Terentius in Phorm. Atqui patruus tuus mirificissimus.

Superlatiuus est, qui supra positiui significatũ maxime significat, Vel qui excessum positionis suæ semper cum respectu plurium quàm duorum demonstrat. Habet terminationes regulares tres, rimus, simus, limus. Sunt & aliq, ximus, timus, remus, fimus, nimus: sed admodum pauca in *has finiunt.*

Regula prima formandi superlatiuum.

Absoluta, quæ r finiunt, adiecta rimus superlatiua informant, ut niger nigerrimus, pulcher pulcherrimus, teter teterrimus, saluber, rimus, pauper pauperrimus. Sic quę in er & is finiunt, ut celeber celeberrimus, acer acerrimus. Excipiuntur dextimus & sinistimus per Syncopen.

Regula secunda.

Superlatiua in simus à casu positionis in i

desinente formantur, addita s & simus, ut candidus candidi candidissimus, prudens prudenti prudentissimus.

Regula tertia.

Sex positiua in lis & illorum composita superlatiuos in limus fingunt, ut sunt facilis, agilis, gracilis, docilis, humilis, similis, quæ hac dictione fagdus, comprehenduntur. Et formamtur à datiuo adiecta mus, ut facili facillimus: unde & l non geminant, nisi per Epenthesin apud poetas. Iuuen. sat. 6. Rara auis in terris, nigroq; simillima cygno. Verg. Circuit & quæ si fortuna facillima tentat.

Annotatiuncula.

Absoluta cum per composita, comparatiuo multo uel longe, superlatiuo quàm adiiciunt, ut perpulcher, multo uel longe pulchrior, quàm pulcherrimus.

COMPARATIO ANOMALA.

Comparatio duplex est, Regularis siue Aequalis. Et Anomala, inæqualis siue irregularis.

Comparatio regularis est, cum gradus medius ac summus positionis analogiam sequuntur Et de hac paulò ante dictum est.

Comparatio uero inæqualis siue anomala, est quando gradus non rite formantur nec absoluti analogiam, i congruentiam ac similitudinem, sequuntur. Ita sequentia comparantur, Bonus, melior, optimus: malus, peior, pessimus:

ma-

magnus, maior, maximus: paruus, minor, minimus: multus plurimus, multa plurima, multum plus plurimum. Plus in multitudinis numero omnis generis est. Cicero ad Atticum lib. 11. epist. 2. scripsit, Ex multissimis & miserrimis curis est una enata. Nequã nequior nequissimus, uetus ueterior ueterrimus, olim ueter dicebant. Actius in Hecuba, Veter fatorum terminus sic iusserat. Maturus maturior maturrimus & maturissimus.

Boetius Comment. in secundã diuisionem anteprædicamentalẽ, bis paruissimus scripsit.

Porrò hæc Comparatiua ac itẽ Superlatiua à præpositionibus, siue magis dicere, ab Aduerbijs deriuantur, uel ut alij uolunt, à positiuis obsoletis, sunt autem hæc.

Extra, exterior, extimus & extremus, quod usitatius est: intra, interior, intimus: ultra, ulterior, ultimus; citra, citerior, citimus: supra, superior, supremus & sumus: infra, inferior, infimus: post, posterior, postremus: prope, propior, proximus, qui superlatiuus interdum positiui significationem habet, unde Comparatiuus nascitur proximior. Vlpianus, Si quis proximior cognatus nascereturVegetius, Et proximior dextra sit, quæ plagam possit inferre. Penitus, penitior, penitissimus, penitus etiam nomen est. Plautus, E penitis faucibus scripsit in Asinaria. Pridem, prior, primus.

Plautus in Militeactus 3. scen. 1. Auferhinc offamillam penitam. Actus 1. scena. 1.

Comparatio defectiua.

Comparatio rursum duplex est, Integra & Defectiua.

Integra est quæ tribus illis gradib. excessum suum absoluit, ut peritus, peritior, peritissimus, hanc Perfectam siue Absolutam uocant.

Defectiua autē est, quę uno aut duobus gradibus caret. Hæc modo Positiuū, modo Comparatiuum, modo Superlatiuum, deniq; mediū & positiuum desiderat. Illam inabsolutā ac imperfectam appellant. Sub hac sequētia militant.

Positiuo carent, ocyor, ocyssimus, Græcum, in qua ligua positiuū mordicus tenet ὠκύς: deterior, deterrimus, olim positio erat deter: habitior, habitissimus, habitus apud Gellium in hoc significato legitur.

Comparatiuum desiderant, Apricus, apricissimus. Columella lib. 11. cap. 3. locis apriciorib⁹ scripsit. Idem lib. 9. cap. 14. Apricissimo die dixit. Comis comissimus, Christianus Christianissimus, falsus falsissimus, inclytus inclytissimus, iurisconsultus iurisconsultissimus. Gellius lib. 1. cap. 13. P. Crassus traditur quinq; habuisse rerum bonarum maxima, & præcipue, quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquētissimus, quod iurisconsultissimus, quod Pont. max. Meritus meritissimus, immeritus immeritissimus, mediocris medioximus, nuper nuperrimus, nuperus Capro positiuus est. Plaut. Recens captum hominem et nuperum & nouiciū, & benc. Nouus nouissimus, persuasus, persuasissimus, diuersus diuersissimus, uestitus uestitissimus. Colum. lib. 7. cap. 3. Nanq; id pecus, quamuis

In Captei-uci duo, scena 5. Act. 3. Diuersus, separatus, discretus, aliquando uarius.

Pecus ouil

quamuis ex omnibus animalibus uetustissimũ, frigoris tamen impatientissimum est. Crispus crispissimus. Idem lib. 11. ca. 3. Lactuca quę candida & crispissimi folij. Apud eundem stercoratus & stercoratissimus. lum intelligit.

Superlatiuum abdicant, Ante anterior, adolescens adolescentior, diues diuitior, iuuenis iunior, infinitus infinitior, senex senior, recens recensior, lõginquus longinquior, rudis rudior, barbarus barbarior, decliuus decliuior, &c. Comparatiui soli, Hermolaus Bar. lib. 12. epist. 38. Mirum mirius scripsit. Cato de re rustica ca. 157. medicantosior.

Superlatiui soli, penissimus, diutissimus, sæpissimus, qui ab aduerbijs pene, diu, sæpe, natiuidentur. Cato, in actionibus ad populum, Facite, inquit, nobis in mẽtem ueniat Quirites, ex ære alieno in hac ciuitate & in alijs omnibus ppter diẽ atq; fœnus sæpissimã discordiã fuisse.

DE GENERE.

Genus dignoscitur quatuor rationibus. Sexu siue natura, ut Hieronymus, Katharina. Significatione, ut Consul, Prætor. Terminatione uel uocalium uel consonantium: & Authoritate, ut anguis.

Genera nominum sunt septem, Masculinum, Fœmininum, Neutrum, Commune, Omne, Epicœnum, & Dubium. Priora tria simplicia sunt, Commune & Omne composita.

Masculinum est cuius recto inter declinan-

dum præponitur articulus hic. Fœmininũ hęc. Neutrum hoc. Commune est, cuius nominatiuo hic & hæc præponuntur. Omne hic & hæc, & hoc. Epicœnum siue promiscuum est, cum uno articulo utrũq; sexum cõplectimur, ut hic passer, miluus: hęc aquila, mustela, siue mustella.

Dubium siue incertum est, quod ueterum authoritas nulla ratione cogẽte uario genere protulit, ut Silex, Dies.

REGVLAE GENERALES de generib. nominũ numero duodecim.

REGVLA I.

Masculina sunt uirorum, officiorũ uirilium, mensium, uentorum, & fluuiorum nomina, ut Vergilius, Karolus: consul, prætor: Ianuarius, Decẽber, Eurus, Fauoniꝰ, Auster, Aquilo: Rhenus, Danubius. Excipiuntur Allia apud Lucanum lib 7. Et damnata diu Romanis Allia fastis. Et Albula apud Ouid. Fast. 4. Et tanto est Albula pota deo, s. Hercule. Id quod terminatione magis & euphonię gratia fieri uidetur, cũ idem Ouid. Fast. lib. 2. in masculino genere posuerit, Albula, quem Tyberim mersus Tyberinus in undis Reddidit. Styx, Lethe, Acherons, apud Plautum fœminina sunt, & illis inferorũ paludibus ab effectu adscripta. Porrò hæc Crustumiũ, Plemmyrium, Iader, Mulucha et Turia, cũ sint masculina, neutris tñ iuncta legũtur, sed figurate per Synecdochẽ siue Relationẽ, ut uidelicet ad flumen referantur, ut etiam illud Ciceronis

Crustumiũ urbs Tusciæ & nomen fluuij, Plin. lib. 3. cap. 15.

Plemmyrium flumis & castelli Siculi nomen.

ceronis ad Atticum li. 4 ep. 14. Lacus Velinus interciso mõte in Nar defluit. Verg. Sulphurea Nar albus aqua. Auson. Fluminibus & Italis prę pollẽs sulphureus Nar. Obseruabis fluminum ac uentorum uocabula uel hęc nomine masculino efferri genere, quod Ethnici persuasum habuerint, singulis tum fluminibus tum uentis inesse sua nomina ac eosdem deos esse.

Maluchæ fluuius Numidiæ, apud Salustiũ in bello Iugur. Turia flu. Hispaniæ, haud procul à Valẽtia. Nar fluuius Vmbriæ.

REGVLA II.

Nomina mulierũ, mulierbrium officiorum, urbium, regionum, insularum, & arborum, generis sunt fœminini, ut Katharina, Lucretia, obstetrix, nutrix, Basilea, Græcia, Germania, Helue tia, Almangauia, Persis, Colchis, Attica, Brittannia, Anglia, Hispania, Cyprus, Creta, Lesbos, Corsica: Pyrus, malus, cerasus, ficus &c. Porrò arborũ nomina ideo fœminini generis esse debent, quod fœtus sui ueluti matres quædã sunt, authore Ver. Geor. 3. Parua sub ingenti matris se subijcit umbra. Plinius etiam lib. 13. cap. 4. arboribus sexum & coniugium attribuit.

Alemanorum ager siue connalis uas Algòw / siue potius Almangòw. Vadianus in Melam ubi Germania tractat.

Exceptio urbium.

Vrbium nomina, quę ur aut um finiunt, sunt generis neutri, ut Comum, Mediolanum, Tigurum, Vangium, patria mea dura regio, sed salubris, oppidum Almangauiæ imperiale, falcibus fœnarijs ac limificio haud ignobile. Anxur modo masculinum, modo neutrum reperitur. Masculina sunt Sulmo & Agragas. Neutra

Anno 1539 2 Septẽb. inter octauam & nonã ante meridiem à latrone accendiario

crudelissimo totũ ferè Vulcano dicatũ est, qui sequente anno in monasterio Marchtal ad Danubiũ sito meritas luit pœnas.

sunt Argos & Prænestę. Verg lib. 7. Quiq; altũ Prænestę uiri. Quod uero ab eodẽ dicitur Prænestę sub ipsa: & Gelida Prænestę Iuuenalis, figurate ad urbem retulerunt. Zeugma urbs Syriæ apud Lucanum neutrũ est: Et Reate apud Silium oppidum Sabinorũ & umbilicus Italię.

Georg. 1. Lib. 6. ferè à fronte.

Poetæ in quibusdam neglecta ratione, interim terminationem sequũtur. Vergil. Pontus & ostriferi fauces tentantur Abydi: Nisi forsan sit hoc Abydon in recto. Suthul & Muthul oppidorum nomina apud Saluſtium. Prisciano fœminina sunt, uel hoc nomine, quod Pœnorum lingua, quæ Chaldææ uel Hebrææ similis est & Syræ, neutrum genus non habeat. Cim nomen uici (ut Celsus dicit) neutrũ est, ut etiam Gaddir.

Ioãnes Reuchli lib. de rudimentis Hebraic. 3. Sicut, inquit, Prisc. Grammaticus de Punica lingua scribit, ꝙ non habeat neutrũ genus: ita ego affirmare ausim quòd nullũ sit nomẽ Hebraicum neutri generis. Cytisus, uide Columellã lib. 9. ca 4. Et Iodocũ Vuillichiũ in 2. Eclogam Vergilij.

Nomina urbium uoce pluralia tantum in I, masculina sunt, Veij, Gabij, Philippi. In E fœminina, ut Athenę, Thebę, Mycenæ. In A uero neutra, ut Patara, Bactra, Hierosolyma, orum, crebrius neutro genere legitur. Hæc quondam Solyma dicta est, & Shalẽ, authore Felino in Psal. 76. in Euangelicis literis ac item propheticis reperies Hierosolyma Hierosolymę & Hierusalẽ.

Exceptio arborum.

Frutex.

Hæc arborũ nomina, spinus, rubus, dumus, citisus, oleaster, pyraster, pinaster, generis sunt masculini. Geor. 4. Et spinos iã pruna ferẽtẽis. Rubus & dumus cythisus, &c. inter frutices numerantur. Est autẽ frutex, qui ad iustam arboris magnitudinẽ non succreſsit, neq; ut herba hyemę

me intermoritur. Rubus in fœminino usus est Seren. in præceptis medicis:

Manditur apta rubus gingiuis & bona labris.

Pinaster Plin. & Gaza in fœminino utuntur. Libanus pro arbore quæ thus producit, & mas. et fœmi. legitur genere. Hæc sunt neutra, siler, suber, thus, robor, laburnum. Suber Plin. lib. 16. cap 26. in mas. usurpat. Serotino, inquit, germine malus tradisimus suber. Ouid. lib. Amorũ. 1. Eleg. 11. acer in neutro genere posuit.

At nuper uile fuistis acer.

Priscianus fœmininum esse dicit. Neutra sunt oleastrum, pinastrum, et pyrastrum, & significãt stirpẽ notham, et à primæua bonitate degenerẽ. Lib. 5.

Inter arbores, quæ solæ censentur materiæ, ac item peregrinarum arborum, quarum materia solum ad nos peruenit, authores neutro genere pronunciant, maxime cum terminatio accesserit. Virgilius Georg. 2. India nigrum fert Hebenum, Et torno rasile buxum, Balsamum, cinamomũ, &c. Hebenus porrò & buxus fœmini sunt generis, authore Seruio in 2. Geor. Græci Ebenum perpetuo citra aspirationẽ scribunt: Latini contra.

Obseruabis omnia arborum nomina in us secũdi esse declinatus, exceptis quinq;, quæ tam quartę tam secundæ declinationis inueniuntur, quercus, laurus, pinus, ficus, cornus. Author Pris. in octauo examine.

Plæraq; fruticum nomina fœminino genere gaudent, ut myrica, erica, sabina, uitis, oxyacantha. Neutri generis est uiscum. Arbor Oxyacãtha. Wylsser haegendoorn. Vide Diosc.

M.1.c2.107 In Rauen spurgensi monasterio duæ sunt.

Vergilius Aen. 6.

Quale solet syluis brumali tempore uiscum,
Fronde uirere noua.

REGVLA III.

Nomina quæ significant fœtus arborum ac fruticum, plerunq; genere neutro enunciantur, ut pomum, malum, pyrum, piper, &c. Addunt̃ur papauer & fragum. Masculinum est dactylus. Fœminina sunt hæc, nux, castanea, auellana, glans, iuglans, galla, uua. Ficus secundæ inflexionis, incerti generis est: quartæ fœminini duntaxat: masculini fructum significat, & uitium podicis siue capitis: fœmininum uero cuiuscunq; declinationis, tam arborem quàm fructum, Vide Vall. lib. 1. cap. 4.

REGVLA IIII.

Nomina propria literarũ, & quæcunq; orationis partes πτωτικῶς efferuntur (uulgus materialia uocat) uerba item ac aduerbia loco nominũ posita, neutra sunt, ut aleph, alpha, A B C. Cæsar est dissyllabon, scribo est uerbũ, grande sophos, euge tuum, triste uale, suum χαῖρε, ecce aliud cras: & id genus alia, apud Persium & alios.

REGVLA V.

Quæ conueniunt uiris ac mulieribus sunt generis cõmunis, ut parricidia, accola, pincerna, conuiua, aduena, subsequa, indigena, pedisequa, auriga, uerna, homo, senex, exul, fur, alpinãs, uates, hæres, locuples, diues, comes, superstes, princeps, &c. Sacerdos, extorris, patruelis, transf-

transfuga, perfuga: hic & hæc parens, hic & hæc infans ὁ νήπιος, hic & hæc & hoc infans ὁ ἄλαλος, mutus. Pusio infans.

Obseruatiuncula.

Quædam communis generis nomina substantiua, nonnunquam adiectiue cum neutris committuntur. Verg. Curæ numen habet, iustumq; memorq; precatur. Idem,

Fatis authoribus esto, Tereti flagello.

Pauperis & tuguri, Idem Aen. 9.

Nulla dies unquam memori nos eximet æuo.

Iuuenalis Satyr. 6. Titulisq; Cupido

Hæsuri saxis cinerum custodibus. Ouid.

Diuitis ingenij & tricuspide telo, dixit. Lucā.

Imperiumq; comes.

Valer. Maxim. Diues regnum. Hieronymus, Diues in Iudæa templum. Plin. Prædiues testamentum. Iuuen.

Depositum ubi sospes erit. Sat. 13.

Plaut. *Sospes iter incipe. Saluſt. Iter inquies, & inquies ingeniũ, & humanũ genus inquies atq; indomitũ.* Perſ. *In locuplete penu. In his obseruãdũ, quos casus receperit usus, hoc est eruditorũ consensus.* Veteres etiã quædã ex his per tria genera, totidem terminationib. inflectebant, ut indigenus, indigena, indigenum. Hinc legimus indigena uina, alienigena studia, &c. De his & in Ambiguis nonnihil dictum est.

REGVLA VI.

Numeralia nomina cardinalia à quatuor usq;

ad centum, omnis sunt generis, pluralis numeri tãtum, & indeclinata, ut quatuor, quinq;, sex, septem, &c. A centum uero composita uariantur per tria genera sub tribus terminationibus, ut ducenti, æ, a: trecenti, æ, a: quadrigenti, æ, a: quingenti, æ, a: sexcenti, æ, a: septingenti, æ, a: octingenti, æ, a: nongenti, æ, a.

Mille & adiectiue & substantiue usurpatur. Adiectiuum uoce indeclinabile est, plurale tantum, generis omnis, ut mille homines, hominũ, hominibus. Substantiuum singulari numero uoce nõ flectitur: estq; generis neutri, hoc mille, ut mille passuum percurri. Pluraliter millia, millium, millibus. Vide Vallam lib. 3. cap. 4.

REGVLA VII.

Adiectiua trium uocum, prima est masculina, secunda fœminina, tertia uero neutra, ut hic candidus, hæc candida, hoc candidum.

REGVLA VIII.

Adiectiua duarum terminationum, prior est communis generis, posterior uero neutri, ut hic & hæc docilis & hoc docile.

REGVLA IX.

Adiectiua unius exitus sunt generis omnis, ut hic & hæc & hoc potens, expers, uetus, loquax, uerax. Illud obiter notandum, adiectiua uerbalia in ax, & habitum & copiam eius rei cuius est habitus significare, ut bibax.

Significatio nominũ adiectiuorum in ax.

REGVLA X.

Nomina auium, ferarum, piscium, uermium, &

& insectorum, sub articulo terminationi magis congruo, sunt epicœna. Sic dicta quod confusim ac citra discrimen utrunq; sexum una voce unoq; articulo referant, ut hic Passer, miluus, coruus, cygnus: hæc aquila, pica, bonosa, anas, carduelis, cornix. Hic lepus, cuniculus, sciurus: hæc mustella, uiuerra, feles. Hic mullus, pecten, salmo: hæc balena, murena, sepia. Hic bufo, pulex, culex: hæc rana, eruca, rubeta. In his porro quoties sexũ distinguere uolumus, aquila mas, aquila fœmina dicere licebit. Ouidius:

Viuerra wisel/marder/yltiß. Rubeta Krott. Herm. Bar. corol. 2. capite 228.

Ales habet quod amet, cũ quo sua gaudia iũgat
Inuenit in media fœmina piscis aqua.

Excipe quorum discretæ sunt terminationes, ut hic gallus, hæc gallina: hic pauus, hæc paua: hic columbus, hæc columba. Hæc grus usitate. Oestrum neutri generis est, quod & Oestrus dicitur, Latini Asilus. Ex piscibus conchyle, conchyliũ, & ostreũ penultima breui, neutra sunt: legitur & ostrea. Halcyon siue halcyonis dubiũ, halcyona fœmininũ: Latine Halcedo, sunt qui cum ă tenui scribant alcedo, quasi Algedo.

Hic simius, hæc simia. Lupus, lupa.

REGVLA XI.

Hypocoristica patrũ suorum genus plerunq; obseruant, ut umbra, umbella: culter, cultellus: signum, sigillum. Hæc tamen à patribus degenerant, rana, ranunculus: canis, canicula: scutum, scutula, forma rotunda, scutella schüssel, scutulum, paruum scutum: qualus, quasillus & quasillum: pistrinum, pistrilla: hic uel hæc acus

Perinde ac araneorum rete.

quartæ declinationis, acicula & aculeus, teste Probo: unguis, ungula: panus, panula & panicula: catena, catellum & catella: corbis, corbula apud Var. Dies pro tẽpore, inde diecula pro paruo tempore.

Beyl/Beytel.
Festus panucula.
Sipont. catenula.

REGVLA XII.

Non parum multa nomina à claris scriptoribus dubio incertoq; genere usurpata leguntur, ut hic uel hæc acus, adeps siue adipes, aluus, amnis, anguis, hic & hoc Acer: hic & hoc Anxur: bubo, berillus: canalis, callis, calx, cardo, clunis, cortex, culex, corbis: dama, dies, finis, funis, forceps: grus, grossi, Halyon, imbrex, linx, lux, linter, lebes: libanus pro arbore. Hic uel hęc margo: natrix, obex, onyx pro uase: pampinus, authorib. Diom. Dona. Sergio, Capro & Probo: palũbes, papauer, puluis, pumex, phaselus, pythõ, perdix, hic uel hæc uel hoc penus, & hoc penũ & penu ἄκκισμον: rudens, sardonyx, hic uel hæc uel hoc specus, stirps pro trunco, cum aliud significat est fœmininũ tantum, serops, serpens, silex, hic uel hoc sal: talpa, torquis: hic uel hoc uulgus. Lector non oscitans assidua lectione & alia huius farinæ nomina his adiicere potest.

Annotatiuncula.

Vide Politianum lib. 5. epist. 1.

Obserues hic uelim literarum candidate, quę ἀρχαϊσμὸν sapiant, quæ item sint usitata: rursus inter ea quę usu recepta sunt, defixis, quod aiunt, oculis perspicito, quæ apud Latinæ linguæ homines

mines peritissimos crebrius rariúsue legantur. Prisca, priscis relinquēda, & in uniuersum in re Grāmatica ab absoletis & iam desitis uocabulis non secus quàm à scopulo, ut inquit ille, abstinendum. Phauorinus apud Gel. lib. 1 cap. 10.

SEQVVNTVR REGVLÆ de Generibus speciales.

A.

PRIMA REGVLA.

Nomina in a primi ordinis sunt generis fœminini, ut diæta, moneta. Masculina sunt, planeta, cometa, poeta, cuius fœmininum est poëtria. Polenta neutrum & fœmininum. Adria masculinum. Quorum genera significatu cognoscuntur, his regulæ generales subseruiunt, ut patriarcha, collega, conuiua. Et composita à πωλέω uendo, ut propola, pharmacopola, myropola, bibliopola, penultima longa. Item composita à cædo, *ut homicida: à gigno, ut indigena: à colo, ut accola Rheni: à uoro denique, ut Cupediuora, Hermol. Bar. epist. 42. lib. 12. carniuora.* Eobanus Psal. 58. Strupfgerst.

REGVLA II.

Nomina in a tertij declinatus neutra sunt, & Græca, & ferè in ma exeunt, ut numisma, poëma, enthymema, problema, ænigma, apophthegma, paradigma, stigma, schema. Veteres hæc iuxta Latinam formam declinabant, addita syllaba tum, ut hoc poëmatum: quorum datiui & Problemafragstuck.

auferendi casus plurales in is non raro à doctis usurpantur, ut emblematis, toreumatis, &c. Nomina pluralia in a sunt generis nutri, ut arma, sponsalia, mœnia, lustra, &c.

Toreuma dicitur quicquid ornatus gratia rebus inseritur, à uerbo τορέυω orno, sculpo, torno, conficio.

E.

REGVLA I.

Nomina in e breue neutra sunt & Latina. Mancinellus, Quod dat e correptum neutrale genus retinebit, ut sedile, cubile, ouile, præsepe, quod & præsepes legitur in fœminino genere. M. Cato. Cap. 4. & 13. Bonas præsepes scripsit. Plau. Præsepes mea est. Hic uel hęc retis, uel hoc rete usitatum. Hoc gausape, gausapum, hic gausapes, hæc gausapa. Cepe in utroq; numero, indeclinatum. Persius sat. 4. Tunicatum cepe. Columel. lib. 11. cap. 3. Iterum cepe semen & porri. Vide declinationem.

Caper & Probus. Plautus in Rudente, Non uides me proferre uuidũ rete sine squamoso pecu.

REGVLA II.

Nomina in e longum fœminini sunt generis, & Græca, ut Libye, pentecoste, parasceue, Apocope, Grammatice, Dialectice, Rhetorice, &c. Nomina pluralia in e fœminina sunt, ut nuptiæ, tenebræ, kalendæ, &c. Excipiuntur tempe & cete, quæ sunt generis neutri.

I. Y.

Nomina fixa in i & y, neutri generis sunt, & indeclinata, ut gũmi, sinãpi, Moly, Dory. Gummis & sinãpis muliebri quoq; genere leguntur. Frugi, nauci, nihili & mancipi, omnium generum casibus accommodantur, ut uir frugi, homo

Colum. lib. 12. cap. 50. Respuit oleĩ pinguitudo qualis est gũmis. &

mo nauci, res nihili, homo mancipi. Nomina ſubſtantiua in i & pluralia, ſunt generis maſculini, ut loci, cancelli, liberi. Adiectiua in i ſunt generis omnis & uoce indeclinata, ut eiuſmodi, cuiuſmodi, huiuſmodi.

O.

Nomina in o corpus ſignificantia, maſculini ſunt generis, ut ſtellio, papilio, pugio, congerro, ligo, nebulo, ganeo, ſtrabo, magno, aleo, lurco, equiſo, leno, leo, draco. Additur unio pro margarita, & Cupido pro filio Veneris. Excipe caro & talio fœminina.

Talio in bonam partē accepit Politian. li. 4. epiſt. 4.

Nomina in do & go genitiuum ſingularem in inis, penultima breui formantia: item uerbalia ſiue participialia in io, & quædam illorum faciem præ ſe ferentia, fœminina ſunt, ut dulcedo, imago, ferrugo, ambitio, occatio, profeſsio, ditio rebellio, glandatio, mellatio. Excipitur ordo maſcul. Cardo & margo dubia. Homo, latro, uirgo, *communia ſunt per regulam generalem quintam. Hæc tamen adiectiuis fœminini generis iuncta uix inueniuntur. Cic. tamen lib.* 4. ep. 5. Homo nata fuit. Virgo, contra, adiectiuum maſ. ferè nunquam admittit: additur nemo. Pondo neutrum & indeclinabile. Præſto alij nomen eſſe contendunt omnis generis inflexile. Priſcia. lib. 15. & plerique alij aduerbium temporis eſſe aſſeuerant.

Pondo eſt pfund. Budæus lib. 1. As, libra et pondo, idē ſignificant.

V. C. D. L. T.

Nomina in u c d l t finita, ſunt generis neutri,

ut cornu, genu, lac, aliquid, animal, mel, nil, nihil, caput. Veteres hoc lacte huius lactis. Halec, referente Curio, quidam sub articulo hic epicœnum esse dicunt. Vnde Celtis in sua Germania ausus est scribere,

Plautus in Bachid. act 4. scena. 11. Quæ nec lactem nec lanam ullã habẽt, in masculino genere.

Halecesq; suos Scandia diues habet.

Reperitur in fœminino genere tam pro pisce quàm liquamine. Vnde halecula diminutiuum. M. Cato Cap. 58. Halecem & acetum dato. De nomine sal inter dubia. Mugil epicœnum sub articulo hic. Sol & strigil masculina: legitur & hæc strigilis. Cætera regulis generalibus digno scuntur, ut pugil, uigil, consul, præsul, exul, &c. Tot & quot pluralia omnis generis & indeclinata.

A M. E M. V M.

Nequam & totidem sunt omnis generis. Tantundem & identidem, neutra sunt: Posterius tamen pro aduerbio sæpius usurpatur.

Nomina in um sunt generis neutri & secundæ declinationis, ut lorum, lotium, speculum, symbolum. Mulierum nomina in um, ut Glycerium, aliâs fœminino, aliâs neutro efferuntur genere. Vide Fab. lib. 1. Prisc. lib. 5 & 6.

Nomina in on Græca, quæ Latini in um uertunt, neutra sunt, ut Encomion, um, Symposion, um, Enchiridion, &c.

A N. O N. I N.

Nomina in an, & on masculina sunt & Græca, ut Pæan, Titan, agon, canon, dæmon. In in epi-

epicœna, ut delphin, phorcyn. Sindon fœmininũ, & Sidon quoq; ex regula generali secunda.

EN.

Nomina in En breue sunt generis neutri, ut semen, tormen, flumen. Masculina sunt pecten & flamen, pro sacerdote. Nomina in En longũ masculina sunt, ut lyen, splen, ren, & hymen nuptialis hymnus.

Composita à cano regulæ generali subiacent, ut tubicen, cornicen, lyricen, tibicen penultima longa, fidicen. Quorum fœminina usu recepta in a exeunt, ut fidicina, tibicina. Syren & Troezen fœminina.

AR. VR.

Nomina in ar & ur finita sunt generis neutri, ut torcular, calcar, ebur, sulphur. Masculina sunt Lar & Bostar, furfur, Anxur, Astur, turtur, uultur. Ligur, fur, cicur, augur ad regulas generales cõfugiunt. Par cum prole sua, ut compar, dispar, impar, est generis omnis. Substãtiue neutrum est, ut par amicorum Dauid & Ionathas. Quinq; amicorũ paria apud Græcos celebrantur, apud nos Christus & pius homo.

ER.

Nomina in er sunt generis masculini, ut ager, agger, aër, uesper, quod tamen & neutro genere legitur, Excipitur hæc acer pro arbore. Sunt tamen qui neutrum esse dicunt, authoritate Pliniana. Linter incerti generis usitatius fœminini. Neutra sunt iter, cancer eris, pro

Lib. 16. cap. 16.

morbo, ſpinter pro armilla: & fœtus terræ, ut ſiler, papauer, laſer, cicer, &c. Cucumer maſculinum. Nomina in uer & ber tertij ordinis neutra ſunt, ut uer, cadauer, uber, tuber, ſuber. Imber cum prole maſculina ſunt, ut October, mulciber.

Laſer, ſuccus eſt fruticis laſerpitij, Balſamo neutiq̃ uilior Dioſcor lib. 3. cap. 85. Tuber maſer. Plinius lib. 16. capit. 17.

Obſeruabis quæ regulis generalibus ſubijciũtur, ut degener, pauper, uber, acer, alacer, &c.

IR. YR.

Nomina in ir ſignificatione partim maſculina ſunt, ut uir, leuir, triumuir: partim communia, ut martyr: & compoſita, ut prothomartyr, pſeudomartyr. Ir neutrum eſt & pyr.

OR.

In or maſculina ſunt ac tertiæ declinationis, ut cruor, ſopor, honor. Præter arbor fœm. Neutra uero ſunt æquor, ador, marmor, & cor. Quę regulis generalibus ſubſunt, memori mente teneto, ut ſunt comparatiua in or, communis generis. Compoſita ab iſtis tribus nominibus color, decor & corpus, quæ ſunt generis omnis, ut concŏlor, bicŏlor, indĕcor, dedĕcor, bicorpor, tricorpor. Memor ſingulariter eſt commune trium, pluraliter communis generis. Additur compoſitum immemor. Author communis generis. Ouid. lib. Meta. 8. Meritorum authore relicta, ſcilicet Scylla. Soror & uxor ſignificatione fœminina ſunt.

AS.

Nomina in as fœminina ſunt, ut probitas, pietas,

pietas, bonitas, lampas. Masculina sunt uas ua dis, as, quod & asis ueteres dicebant, adămas, diămas, Atlas, Elephas, Abbas, gigas, & boreas signifi. mas. Pharĩas nomen serpentis. Lucanus, Et contentus iter cauda sulcare pharĩas. Tiãras Vergilio mas. Aen. 7. sceptrumq; sacerq; Tiãras. Iuuen. Sat. 6. Phrigia uestitur bucca tiãra, fœmininum est. Neutra sunt uas uasis, phas & nephas ἀπόφατα. Sunt quæ ad regulas generales pertinẽt, ut Pallas, agrágas, primâs, alpinâs. Veteres hic & hæc alpinatis & hoc alpinate. Vide Prisc. lib. 4.

ES BREVE.

In es breue nomina sunt masculini generis & tertiæ declinationis, cuiusmodi ferè sunt, quorũ genitiuus excrescit, ut cocles, cespes, fomes, gurges, limes, poples, stipes, trames. Fœminina sunt, seges, teges & compes. Teren. habendæ compedes: & apes siue apis.

Neutra sunt hippomanes, cacoethes. Communia duum aut trium generum ad regulas generales digerũtur, ut diues, eques, miles, pedes, antistes, hospes, hebes, interpres, præpes, sospes, superstes, perpes, inquies, comes, ales, præses, obses, Ouid. lib. Met. 8. fab. 1. Me tamen accepta poterat deponere bellum Obside: teres. Hospes, sospes, & antistes habent etiam fœminina separatim, nempe hospita, sospita, antistita. Sunt quędam de hoc grege quæ interim cum neutris cõmittuntur. Vide quintã regulam generalem.

ES LONGVM.

Nomina in es longū sunt generis fœminini, ut sunt omnia nomina quinti flexus, ut acies, res, facies. Præter dies incerti generis, & compositum meridies masculi. Item pleraq; tertij declinatus, quorum genitiuus non crescit, ut fames, sedes, strages, strues, clades, cædes, nubes, ambages, proles. Merces & quies crescunt in genitiuo, & ipsa fœminini generis sunt.

Masculina sunt patronymica in des, ut Priamides. Et Græca, quæ à prima illorū inflectione, ad primam Latinam in a uel tertiam in es transferuntur, ut ὁ προφήτης prophetes & prophe-ta. Præterea lapidum nomina, ut Magnes, Achates, Chelonites, Aetites, Gagates, Hieracites, Galactites, Hæmatites, Molochites, Peanites, Selenites. His adduntur uerres, aries, paries, & pes. Reliqua ad genus significationis confugiunt, ut uates, hæres, locuples, communia. Composita à pes adiectiua sunt omnis generis unius exitus, ut bipes, tripes, scgnipes: nonnunquam substātiue usurpātur, ut sonipes, tripes, semipes.

Vide Mar bodæum. Gagatis. schwartzer augstein.

IS. YS.

1 Nomina in Is tam Græca, quàm Latina, fœminina sunt. Græca, ut amusis, diæresis, eclipsis, metropolis, chelis, genesis, hæresis, mathésis, proboscis, poësis, diœcesis penult. protelata. Latina, auris, auis, cutis, bilis, clauis, nauis, securis, strigilis, ratis, cratis, basis, ouis, rudis uirga.

Quæ

Quædam Græca in ys, ut chlamys, erinnys, amphibrachys.

2 Masculina sunt, ædilis, caulis. Quædam in alis, ut natalis, maialis, aqualis, riualis: præter noualis fœmininum: nonnulla in aris, ut molaris, pugillaris. Quod si hæc in alis & aris diadiectiue usurpantur, regulæ octauæ generali subijciuntur.

Scholaris And. Alcia to substantiuum nonnunquam, pro eo qui scholas frequentat, & apud Fab. lib. 2. cap. 20. cœtus scholarium legi, non scholarum. Bebelius contra.

3 Præterea masculina sunt nomina in is, n, uel duas consonantes, aut etiam duplicem ante is habentia, quæ genitiuo singulari excrescũt, ut panis, cinis, ignis, crinis, amnis, fascis, piscis, fustis, postis, uectis, orbis, mensis, casis, pro reti, collis, unguis, ensis, follis, & ab asse composita, ut decussis, centussis, bessis, &c. axis, cucumis, puluis, uomis, sanguis, glis gliris: nam glis glisis, & glitis fœminina esse uolunt, quæ tamen apud authores nondum legere contigit. Obseruabis hanc regulam tertiam de Latinis solum *nominibus intelligi*: Græca enim fœmina sunt *perpetuo, etiam si n aut duplicem consonantem ante is, aut genitiuum excrescentem* habeant.

4 Fœminina sunt Bipennis, quod interim adiectiue usurpatur, classis, cassis pro galea, cuspis, febris, messis, pellis, puppis, pestis, peluis, restis, tussis, uallis, cõuallis, uestis, uolucris pro aue, lis litis, biblis, pistris, nauis, charybdis, &c.

5 Adiectiua communia, ut impũbis, fortis, tricuspis, unicaulis, exanguis, &c. Item communia

substantiua, ut ciuis, testis, affinis, extorris, hostis, canis, iuuenis, sodalis. Deniq; hæc dubia funis, finis, anguis, &c. Ex 8. 5. & 12. regulis generalibus expiscanda sunt.

Capricornus. Nomina in os masculina sunt, ut honos, lepos, flos, ros, mos, isthmos, logos. Hæc monoceros, ægoceros, rhinoceros, epicœna sunt sub articulo hic. Fœminina sunt arbos, dos, cos, glos. Insularum nomina, ut Tenedos, Lesbos, Lemnos, Rhodos, ad secundam regulam generalem pertinent, & Theotócos. Neutra sunt, os oris & osis, chaos, melos, epos, sophos & Argos singulariter, pluraliter masculinum. Communia sunt bos, custos, compos, impos, sacerdos. Addunt Charonomos pen. breui. Idem quod gesticulator.

Vrbs in Peloponneso.

V S.

1 Nomina in us breue secundi uel quarti declinatus, sunt masculina, ut uentus, fructus. Græca fœminini generis in os, Latinis in us mutata, Græcum genus non uariant, ut methodus, erēmus penultima longa, abyssus, papyrus, byssus, carbasus, arctus, periodus, diphthongus, sy nŏdus, hyssopus penultima longa, crystallus, nardus, costus frutex aromaticus, &c.

2 Fœminina sunt & hæc Latina, domus, colus, humus, anus, idus plurale, porticus, tribus, manus, uannus, galbanus. Masculina sunt, saphirus penultima longa, smaragdus et carbunculus. Nomina sexus, ut anus, nurus, socrus:

Vel galbanum.

Arborum,

Arborum, ut cupressus, myrtus, laurus, cornus, quercus, fagus, pinus, platanus. Nomina item regionum, insularum & urbium, ut Aegyptus, Cyprus, Corithus, fœminina sunt per secũdam regulam generalem. Dubia sunt hæc, acus, aluus, beryllus, pampinus, phaselus, penus, specus, uulgus. Neutra sunt pelagus & uirus.

Philosophus & philocalus Prisciano, & ijs qui illi subscribunt, cõmunia sunt, sed mihi nõdum persuasum, nisi unum & alterũ authorem testẽ adhibeant. Tametsi non inficias eo huiusmodi nomina composita & etiã deriuata apud Græcos cõmunia esse, ut ὁ καὶ ἡ φιλόσοφος, πάμφιλος, πόσμιος. Estq; id Atticis peculiare.

3 Nomina polysyllaba in us tertiæ declinationis, u in obliquis seruantia, sunt generis fœminini, ut seruitus, palus, salús, tellus, subscús, pecus.

4 Monosyllaba in us tertij declinatus, neutra sunt, ut ius, crus, rus, pus, thus, & plus, quod in obliquis est commune trium. Mus mas. est. Sus commu. Grus dubium. Intercus substantiue fœmi. adiectiue est omnis generis.

5 Nomina in us inflexionis tertiæ, quę in obliquis u commutant, neutra sunt, ut corpus, decus, pecus, acus, Gręcè σκύβαλον sprüwer/hälwẽ. Lepus, epicœnum est. Ligus quod & Ligur, cõmune. Vetus est omnis generis.

DIPHTHONGVS ANTE S.

Quatuor sunt nomina diphthongon ante s

habentia, è quibus præs est masculinum, æs neutrum, laus & fraus fœminina.

S PRÆCEDENTE CONSONA.

1 Monosyllaba in s antecedente consona fœmina sunt, ut ars, mors, puls, urbs, gens, frons, mens, ops, stips, trabs. Masculina, sunt mons, pons, fons, dens, & seps pro serpẽte. Dubia sunt scrobs & stirps, sed genere fœminino usitatius efferuntur. Sons omnis gen.

2 Polysyllaba in s præcedente consona, uirilis sunt generis, ut chalybs, torrẽs, manceps, hydrops. Et partes asis, ut sextans, quadrans, triens, dodrãs, dextans. Fœminina sunt, hyems, cohors, iuglans & prægnans. Communia sunt, auceps, adolescens, municeps, cælebs, princeps, parens, cliens, effrons, bifrons, per regulam 5. generalem. Dubia sunt adeps, forceps, serpens, & rudens.

3 Adiectiua in s præunte consona, sunt generis omnis per nonam regulã generalem, ut elegans, expers, prudens, inops, insons, præceps, amens, clemens, particeps, anceps, iners, solers, concors, discors, &c. His adduntur participia præsentis temporis, ut amans, docens, legens, audiens. Tridens, substantiuæ, pro Neptuni fuscina masculinum, adiectiue trium generum.

4 Participialia nomina, alia masculina sunt, ut oriens, occidens, profluens pro flumine, confluens ubi duo flumina coeunt. Alia fœminina,

1 Continens. ut continens pro terra quæ non est insula, consonans,

sonans, animans, Politian. Miscel. cap. 3. Hæc ut confecta est, animans. Alia item neutri generis 2 sunt, ut accidens, contingens, antecedens, ens, consequens, decens, conueniens, præsens, conti nens pro firmamento rationis. Alia deniq; com 3 munia sunt, ut quæ genitiuis iunguntur, ut fugi tans, appetens, continens pro continuus, dili gens pro eo qui sedulam dat operam, euidens pro manifestus, indulgens pro eo siue ea cui in dulgetur. Lege Vall. lib. 1. cap. 33.

AX. ANX. ARX.

Nomina in ax, anx & arx, substantiua & Lati na generis sunt fœminini, ut pax, fax, fornax, lanx, phalanx, arx. Græca in ax ferè masculina sunt, ut abax, thorax, arctophylax, antrax, gazo phylax, & limax Latinum. Calx dubium. Limax, erdschnäck

BX.

1 *Nomina in ex monosyllaba substantiua, sunt geueris fœminini, ut lex, fex, merx: item nex & prex, quorum obliqui in frequentiori sunt usu. Masculina sunt rex & grex.*

2 Nomina in ex polysyllaba substantiua, sunt uirilis generis, ut frutex, latex, pollex, apex, co dex, caudex, ueruex, murex, uertex, ramex, po dex, rumex. Epicœna sunt sub articulo hic, ci mex, pulex. Fœminina sunt uibex, pellex, for fex, forpex, carex, ilex & suppellex. Dubia sunt cortex, imbrex, obex, pumex, silex. Communia sunt exlex, illex, index, iudex, uindex. Ramex, karnöffel. Rumex, Scharpff klyben gna gleter kolb. Græce, ἄκανθος.

IX.

1 Substantiua in ix finita generis sunt fœmi-
nini, ut cicatrix, coxendix, appendix, ceruix, cor
Farnkrut. nix, salix, filix, lodix, radix, nix, strix, pix, sphinx,
trilix substantiuum, meretrix, obstetrix, et si qua
Matrix, Zückterin. Colum lib. 8. ca. 11. de pauonibus sunt in trix sexuum nomina, ut matrix, netrix,
lotrix. Itẽ pernix pro pernicie siue morte, à per-
necando, classendix, mastix. Masculina sunt, ca-
Post admissuræ tẽpus confestim matrices cu stodiendæ sunt. lix, fornix, cilix, fœnix, uarix, spadix, histrix, ani-
mal erinatio simile.

2 Nomina uerbalia in trix fœminina sunt, ut
genitrix, nutrix, assestrix, expultrix, amatrix, ui-
ctrix, ultrix: quæ duo posteriora, ut etiam alia
nonnulla huius terminationis, in obliquis casi-
bus utroque numero neutris coniuncta legun-
tur. Vide supra nomina media siue ambigua.

YX.

Sandyx, Bergrot. Oryx, animal capræ simile. Colum. lib. 9. cap. 1. Nec uero patiẽdus est oryx aut aper. Iuuen. Sat. 11. Et Getulus oryx. Masculina sunt bombyx, sandyx, iapyx, onyx
pro gemma, ibyx, phryx, oryx, eryx. Fœmininũ
styx. Dubia sunt linx, onyx, puase et sardonix.

OX. VX.

Nomina in ox, & ux substantiua, sunt gene-
ris fœminini, ut celox, uox, nox, faux, lux, nux,
crux. Masculina sunt propria, ut Volux, Pol-
lux. Communia sunt, dux & coniux.

VNX.

Masculina sunt, septunx, quincunx, deunx.

ADIECTIVA IN X.

Eryx mõs Siciliæ & filius Veneris. Adiectiua in x quacunq; uocali præcedente,
sunt generis omnis per nonam regulam gene-
ralem,

ralem, ut audax, bibax, contumax, dicax, emax, furax, loquax, minax, procax, sternax, tenax, simplex, multiplex: felix, pernix, trilix pro triplici, uelox, pernox, præcox, trux. Procax, Mûtwilig

DE NVMERO.

Numerus est dictionis forma, qua ab uno ad plura proceditur. Et est duplex, Singularis, qui unum duntaxat significat: & Pluralis, qui multa significat. Et singularis quidem numerus finitus est, pluralis uero infinitus. Porrò Dualem numerum apud Latinos in ambo & duo usurpari putant Seruius & Donatus.

Sunt quædam nomina positione singularia, intellectu uero pluralia, ut sunt collectiua nomina, Græce περιληπτικά, ut populus, exercitus, legio, concio, turba, gens. Sunt contra intellectu singularia, sed uoce pluralia, ut sunt propria urbium in I, ut Philippi: in E, ut Athenæ: in A, ut Patara. *Item unæ nuptiæ, unas literas accepi, unos cancellos perfregit, &c. Ex his autē quædam singulariter prolata leguntur. Verg. Aeneid. 5. Et urbe Mycena. Statius 8. Theb. diræq; ad mœnia Thebes.* Sed de his, quæ numero sunt defectiua in Heteroclitis dicemus.

DE FIGVRA.

Figura est accidens, quo dictio tum simplex tum composita esse dignoscitur.

Et est duplex, Simplex & Cōposita. Simplex est quādo dictio in partes intelligibiles ac prioris sensus capaces diuidi nequit, ut magnus.

Compositæ est ubi dictio in partes separatim intelligibiles diuidi potest, ut magnanimus. Decompositam adijciunt, cum scilicet dictio composita ulteriorem compositionem admittit, ut irreparabilis, resurgo, &c.

Nomina porrò componuntur uel cum alijs nominibus, ut paterfamiliâs: uel cum uerbis, ut armiger, lucifer; uel cum participijs, ut plebiscitum: uel cum pronominibus, ut huiusmodi: uel cum aduerbijs, ut beneficus: uel cum præpositionibus, ut in doctus, imprudens: uel deniq; cum coniunctionibus, ut uterq;, quisq;.

Nomen ex integris casibus trifariam componitur.

1 Primo ex duobus rectis, quæ compositio utrinq; inflectitur, ut iusiurandum iurisiurãdi, respublica, reipublicæ. Alteruter ex posteriore recto inflectitur solum. Cicero tamen in Protagora, alteriusutrius scriptum reliquit.

2 Secundo ex recto & obliquo, ubi rectus solum flexilis est, siue obliquus præcedat siue sequatur, ut paterfamilias, patrisfamilias, &c. plebiscitum, plebisciti, &c. Colum. lib. 12. in præfatione, Vetus ille matrumfamiliarum mos scripsit, ad uitandum credo sibilum.

3 Tertio ex duobus obliquis, quæ cõpositio uoce quidem immota indeclinataq; permanet.

Obseruatio.

Quãdo rectorum alter casu aliquo caret uel numero, defectus ille totam compositionem occu-

occupat. Vnde iusiurandum genitiuũ, datiuum & auferendi casum plurales nõ habet: & unusquisq; multitudinis numero caret, & suijpsius nominandi casum desyderat.

Altera obseruatio.

Vt recti utrinq; declinẽtur, necesse est ut uterq; & integer sit & declinabilis. Quo fit ut uiginti unum, duo, tres, quatuor, &c. utrinq; inflecti nequeant, ut nec undecimus, tredecimus, &c. Leopardus etiam ex altera parte flectitur. Ita duodecimus. Ab alteruter alteriusutrius legitur, ut paulò ante dictum est.

DE CASV.

Casus est uariatio siue declinatio casualium dictionum: quæ fit per immutationem nouissimæ syllabæ.

Casus qui populatim à Latinis recipiuntur, sex sunt, *Nominatiuus, genitiuus, datiuus, accusatiuus, uocatiuus, & ablatiuꝰ. Sub datiuo octauum, sub ablatiuo septimũ comprehenderunt.*

Nominatiuus est qui rẽ absolute citraq; omnem circumstantiam significat. Hic nisi propter multitudinis nominatiuum, casus non diceretur, sed rectus, sicut reliqui omnes obliqui. Vide Prisc. lib. 5. de casu & numero.

Genitiuus est qui rem significat, ut cuius sit quippiam. Hic & Patrius & gignendi casus appellatur. Priscis etiam interrogandi casus dicebatur.

Datiuus est, qui id significat, quod cuipiam at tribuimus. Sub huius uoce casum octauũ comprehenderunt, quem tũ incidere uolebant, cum quod aliâs per accusatiuum cum præpositione usurpabant, per hunc casum proferebant, ut It clamor cœlo, id est in cœlum. Subeunt muro, pro ad murum.

Accusatiuus est, qui rem significat, tum infinitis uerborum à priori, tum actiuorum transitioni accommodatam. Dicitur etiam Causatiuus & Incusatiuus.

Vocatiuus est, qui uocãdis appellãdisue personis est accõmodus. Etiã Salutatorius dictus.

Ablatiuus est, qui aliquid significat tanquam in quo, cum quo, uel abs quo: item per siue propter quod aliquid fiat. Est prẽterea passiuorum personæ agenti, ac item precio, causſæ & instrumento significandis accommodatus. Eundem septimum uocant, quando scilicet absq; præpositione legitur. Vergilius, Aen. 1.

Et pulchra faciat te prole parentem.

Vide Diomed. lib. 1. de idiomatis, per uerba & nomina cum ablatiuo. Et contra illum Priscianum lib. 5. de casu.

DE DECLINATIONE.

Declinatio est uocis in fine per obliquos casus uariatio. Hæc etiam Ordo, Flexus, Inflexus, & inflexio appellatur.

Ea est triplex, Latina, Græca siue Latina accersita, & Mista.

Latina,

Latina, siue Naturalis est, quæ nullum Græcæ linguæ casum admittit, ut Quarta & Quinta declinationes.

Græca est, quæ Græcum morem numero singulari sectatur, ut est declinatio Græcorum in e longum, à secunda Græcorum mutuata, ut pentecoste, parasceue.

Mista est, quæ inflexu Latino Græcos inserit casus, ut sunt prima, secũda & tertia declinationes. Prima enim à Græcorum prima & secunda aliquot casus accipit. Secunda autem à tertia, ac item tertia forma contractorũ. Tertia uero ex quinta Græcorum imparisyllaba, complures terminationes & casus usurpat.

Est insuper declinatio intellectus, quãdo uidelicet casuum uariatio per adiunctum nomen deprehenditur. Hac ἄπτωτα & uoce indeclinata, intellectu solum uariantur, ut homo nequam, hominis nequam, &c.

Est præterea declinationum quædam Consequens, similium uidelicet regularis & uniformis proportio. Græce Analogia. Quædam uero Inconsequens, quæ est dissimilium irregularis consuetudo: Græce Anomalia, id est inæqualitas. Id Aulus Gellius lib. 2. cap. 25. his uerbis comprobat, ἀναλογία, inquit, est similium similis declinatio: quam quidam Latine proportionem uocant. Ανωμαλία autem est inæqualitas declinationum consuetudinem sequens. Cõgruẽtia, Similitudo

Porrò priusquam ipsas declinationum for-

mas aggrediamur, iuuentutem literarũ ſtudioſam adhortari operæprecium fuerit, ut genera nominum & declinationes ac item coniugationes uerborum imprimis amuſſatim perdiſcat. Nam Phoca teſte, omnis ambiguitas nominis in genere & declinatione conſiſtit. Et Fab. lib. 1. cap. 8. Nomina, inquit, declinare & uerba imprimis pueri ſciant: neq; enim aliter peruenire ad intellectum ſequentium poſſunt.

DE ARTICVLO.

Germani articulos habent quemadmodum & Græci, quos orationi interſerũt, ut Der mañ/ Des mannes/ Dem mann. &c. cum articulo infinito Ein mañ/ eines mannes/ eim mañ/ &c. At Latinus ſermo in uniuerſum præpoſitiuis articulis caret. Id quod Priſcianus primæ notæ Grammaticus lib. 12. hiſce uerbis confirmans, In omni, inquit, oratione hæc Pronomina, quibus utimur loco articulorũ, Pronomina ſunt. Idem lib. 17. Deficit, inquit, præpoſitiuis articulis lingua Latina: nam Pronomen quod Grammatici in nominum declinatione loco præpoſitiui ponunt articuli, nunquam in oratione articuli ſenſum habet. Nam ut Germanice recte dixeris, Ich hab dem mann das gelt geben. Græce ἔδωκα τῷ ἀνδρὶ τὸ ἀργύριον. Et Das ouget iſt dem lyb ein liecht. Græce ὁ λύχνος τ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός. Ita perperam Latine uertas, Dedi huic uiro hanc pecuniam, ut articulorum loco accipias,

pias. Item, Hæc lucerna huius corporis est hic oculus. Ergo cum Latini hic, hæc, hoc in declinãdo usurpant, à pronomine tum casuum tum generum notam mutuo accipere uoluerũt, non articulum tradere quo in loquendo uti liceret.

	Ntũs	Gtũs	Datũs	Actũs	Abltũs.	
Masc.	Hic	huius	huic	hunc	ab hoc	Sing.
	Hi	horũ	his	hos	ab his	Plur.
Fœm.	Hęc	huius	huic	hanc	ab hac	Sing.
	Hæ	harũ	his	has	ab his	Plur.
Neut.	Hoc	huius	huic	hoc	ab hoc	Sing.
	Hæc	horũ	his	hæc	ab his	Plur.

Vocandi casus in omni genere, numero, ac declinatione & apud Græcos & apud Latinos ὦ O uocandi aduerbium assumunt.

QVINQVE sunt Latinorum declinationes, scilicet, Prima, secunda, tertia, quarta & quinta. Illas genitiuus singularis discernit. Sunt *qui per ablatiuum malunt, ut qui casus sit Latinorum proprius.*

PRIMA DECLINATIO

Nominatiuus primæ declinationis quatuor terminationes complectitur, a, as, es, & e. As & Es masculinorum Græcorum, E fœmininorũ. Veteres omnia per A efferebant, ut Anchisa pro Anchises. Testes sunt Fab. lib. 1. cap. 10. & Priscianus in examine. A porrò Latinæ linguæ peculiaris est, quam etiam Græci habent. Genitiuus & dandi casus in æ diphthongon

exeunt. Accusatiuus in am correptam. Vocatiuus nominatiuo suo similis est. Ablatiuus in a longum. Nominatiuus & uocandi casus plurales in æ diphthongon. Genitiuus pluralis in arum correptam. Datiuus & auferendi casus in is productam. Accusatiuus in as productam.

Typus huius declinationis.

	Ntũs	Gtũs	Dtũs	Actũs	Vtũs	Abltũs.
Singular.	AS / ES	-æ	-æ	-am	-a	-a
	A / E	-es	-e	-en	-e	-e
Pluraliter.	Ae	arum	is	as	æ	is.

Annotationes.

1 Genitiuus singularis nonnunquã per Diæresin profertur apud poëtas. Vergi. Aeneid. 3. Aulaï in medio libabant pocula Bacchi. (auri. Idem in 9. Diues equûm diues pictaï uestis & Pers. sat. 6. Lunaï portum (est opere) cognoscite ciues. Cicero in Arato, Atq; oculos urget pedibus pectusq; nepaï, pro nepæ id est scorpij. In his diphthõgus Grẹca αι ꝓ æ Latina usurpatur.

2. Genitiuus pluralis interim per Syncopen enunciatur, idq; ferè in patronymicis & compositis usu uenire solet. Vnde apud Vergil. lib. Aen. 3. legimus Graiugenûm domus: & Caprigenum pecus. Apud Ciceronem Trinundinum. Ita cœlicolum, Priamidum & Dardanidum apud Verg. Aen. 2.

Quæ-

3 Quædam huius ordinis nomina discernendi uel generis uel sexus gratia Datiuum & auferendi casum plurales in abus formant, ut deabus, filiabus, natabus, equabus, mulabus, libertabus, ambabus, duabus, dominabus, animab. Cicero & alij, natis, filijs, animis. Vide Vallam lib. 1. cap. 1.

Casus Hellenismi.

Hæc declinatio ex prima & secunda Græcorum aliquot casuum terminationes usurpauit Nominatiuum uidelicet in as & es, interim & a: genitiuum in as, quod secundæ Græcorum declinationis nomina in a purum, ρα, δλα, θα, genitiuum in as terminant, id quod ueteres Latini imitati fuut. Neuius, Filij terras. Ennius, Dux ipse uias. Liuius Andronicus, Mercurius cum'q; eo filius Latonas. Verg. quoq; dixit, Nec auras nec sonitus memor. Consimilis ratio in pater & materfamilias etiamnum durat. Accusatiuũ in an & en, uocatiuum in as, es, & e. Ablatiuum in e, imitatione ad Græcum datiuum.

Linacer lib. 6. de Enallage casuum.

Declinatio in E longum.

Nomina in E longum Græca sunt & fœminini generis, hoc'q; modo inflectũtur. In nominatiuo, datiuo, salutatorio & sexto casu e habẽt: in casu patrio es, in accusatiuo en, pluraliter à prima declinatione Latina nõ desciscunt. Sunt ex his quæ singulariter etiam more huius declinationis in a exeũt, ut Libye Libyes, Libya, Li-

byæ, Helene & Helena, Epitome & epitoma, Syncope & Syncopa, &c. Patronymica in ne in hunc ordinem digeruntur, ut Adraſtine, Nerine, Acriſione.

SECVNDA DECLINATIO.

Secundi declinatus caſus nominandi ſex habet exitus, er, ir, ur, um, us & eus. Genitiuus ſingularis in i productã deſinit. Datiuus & caſus Latinus in o longum. Vocatiuus rectum ſequitur, ſi habet er, ir, ur, & um. Quod ſi us, mutatur in e: in eus uocatiuũ in eu finit. Propria in ius abiecta us uocatiuum in i faciunt, ut Vergilius Vergili, Anthonius Anthoni, Laurentius Laurẽti, Bonifacius Bonifaci: item Pompei & Vultei, diſſyllaba. Gai monoſyllabum: & i in fine ſyllabæ fit conſona. Omnis enim uocatiuus in i deſinens, una ſyllaba minor eſſe debet nominatiuo ſuo, ut Terentius Terenti. Additur ũnũ appellatiuũ, ut filius ô fili, & filie apud ueteres. Nominatiuus & uocatiuus plurales in i protelatũ: in neutris in a breue. Genitiuus pluralis in orũ correptã. Datiuꝰ & ſextus in is longũ. Accuſatiuus in os porrectũ, in neutris a breue habet.

Plaut. in pſeud. act. 1 ſcen. 3. uore te hac te puere.

Ouid. li. 4. de pont. Eleg. 1. Acci pe Pompei diductum carmen ab illo: per diæreſin.

Typus.

Ntũs Gtũs Datũs Actũs Vtũs Abltũs.

Singul. { Er. Ir / Vr. Vm / Vs. Eus } -i--o-um { er. ir / ur. um / e. eu } o

Plural. { I / A } -orum-is- { os i / a a } is

Obſer-

Obseruationes.

1 Genitiuus singularis à recto in ir, ur, & eus crescit, ut uir uiri: satur, saturi: Tideús, Tidei. Ab in us & um non crescit, ut famulus, famuli: cordum, cordi. Ab in er autem genitiuus modo rectum superat, quando er muta non præcedit, ut gener, generi: miser, miseri: modo non superat, quãdo muta er præcedit, ut faber, fabri: cancer, cãcri: uafer, uafri: ager, agri: aper, apri: auster, austri. Hæc sequẽtia crescũt, Liber pro Baccho, & adiectiuum, adulter, lacer, socer, asper, prosper: & composita à fero & gero, ut lucifer, armiger. Item presbyter, presbyteri. Mulciber tertiæ declinationis est. Ouid. Mulciberis capti Marsq; Venusq; dolis. Et iber iberis, Græce, ἴβηρ ἴβηρος. Iberus tamen penultima longa, huius est declinationis, fluuius Hispaniæ.

2 Genitiuus singularis nonnunquam & per apocopem effertur, teste Prisciano li. 7. Vergil. Aeneid. 1. *Hic tamen ille urbem Pataui sedesq; locauit. Idem Buc. Pauperis & tuguri congestum cespite culmen.*

Iuuenalis satyra quartà.

Anthoni gladios potuit contẽnere, si sic Oĩa dixisset.
At idem Pris. in 12. Synæresim esse ait.

Vocandi casus à recto in us metri euphoniæ gratia, modo in us, modo in e finit, ut populus & populе: fluuius, fluuie: agnus, agne, &c.

Vergil. Aeneid. 8.

Corniger Hesperidũ fluuius regnator aquarũ.

Luca. in 2. Degener ô populus uix sæcula longa decorum Sic meruisse uiris.

Hæc nomina unus, ullus, uter, nullus, solus, totus, alter, neuter, alius & quis, secundam pronominis formam sequuntur: quorum tria uocatiuum habent, unus, solus, totus. Alius in neutro aliud, in genitiuo alius penultima longa: alter, alterius eadem correpta. Cæteri illorum nominum genitiui sunt indifferentes.

Nomina neutri generis in omni declinatione rectum, accusatiuum, & uocandi casum in utroq; numero similes habent, & in plurali in a exeunt.

Casus patrius pluralis numeri nominũ mensuras & numeros significantium: item masculinorum quorundam neutra non habentium, nõ raro per syncopen enũciatur, ut modiûm, sestertiûm, tricenûm, senûm, septenûm, deûm, nũmûm, uirûm & uirorum: eius tamen compositum tantũ habẽt, ut triûm uirûm. Vide Prisc. li. 7.

Casus Hellenismi.

Latini ex tertia, quarta, & quinta Græcorum declinationib. aliquot casus in hanc classem digerunt. Rectum in os, qui & in us uertitur, ut πρίαμος Priamus. In ον, quem Latini uel in er uel in us uertũt, ut εὔανδρος Euander siue Euandrus, à quo Euandre uocatiuus apud Vergiliũ. Nominatiuum Græcum Atticæ declinationis in ως usurpauit Vergilius libro 2. Aen. Androgeos offert

offert nobis ſocia agmina credens. Præterea eus Græcorum maſculinorum terminatio eſt omnino: & ον neutrorum, quam in um uertunt Latini, ut χειρίδιον enchiridium. Genitiuum in eos ab eus. Stat. 3. Thebaid. Tideos egregij perfoſſum pectus & arma, In ω quoq;. Verg. lib. 6. Inforibus letum Androgeo.

Obſeruabis e ab eus in obliquis corripi, poëtas tamen Græcam conſuetudinem ſecutos alicubi producere. Vergilius Aeneidos 1.

Ilionea petit dextra leuaq; Sereſtum. Nam Græci ἰλιονέα ἰλιονῆα faciunt Ionice. Datiuum contractum uſurpat Latinitas. Vergil. Ecloga 4.

Orphæ Calliopea lino formoſus Apollo: pro Orpheo. Accuſatiuum in on.

Vergilius in Aethna,

Quis nõ Argolico deſleuit Pergamõ igni. Oui. Ardet amore tui, ſic & Menelaon amauit.

In o Vergil. Georg. 1. Aut Atho aut Rodopen. Politianus lib. 9. epiſt. 1. Atho montem. In a denicq; ab eus. Vergilius,

Orpheaq; in medio poſuit ſyluasq; ſequentes.

Vocatiuum in eu ab eus. Ouidius,

Quo fugis exclamo ſcelerate reuertere Theſeu.

In u à recto in us contracto. Verg. Aen. 2.

Quo res ſumma loco Panthu.

TERTIA DECLINATIO.

Rectus tertiæ declinationis ſingularis undecim literas terminales habet, uocales quatuor a ei & o: conſonantes ſeptem, c l n r s t x. Geni-

tiuus in is correptam definit, præter uis huius uis productum. Datiuus in i longum. Accusatiuus in em frequentius, nonnunquam in im, interim & in em & im simul correptam. Vocatiuus nominatiuo suo similis est. Ablatiuus modo in e breue, modo in i longũ, interim in e & i simul. Nominatiuus accusandi et uocandi casus plurales in es productam, in neutris in a correptam. Genitiuus pluralis, nunc in um nunc in ium, modo in um & ium simul correptam. Datiuus & Ablatiuus in bus correptam.

Typus.

	Ntũs	Gtũs	Dtũs	Actũs	Vtũs	Abltũs.
Singular.	A E O C L N	is--i---		em A E O C L N	e	
	R S T X			im R S T X	i	
Pluralit.	E s--um A--ium	bus	Es----Es A---- A	bus		

A.

Nomina in a finita tis adiecta genitiuum pariunt, ut poëma, poëmatis: carcinoma, carcinomatis. Veteres hæc nomina prima & secunda declinãdi lege inflexerunt, ut hæc schema, huius schemæ, hoc schematum, schemati. Ecclesiastici pascha, paschæ. Eras. lib. 10. Epistol. cap. 15. non flectit. Ipse uos reuisam à pascha.

E.

Nomina

Nomina in e breue Latina & neutra sunt, ac e in is conuersa genitiuum faciunt, ut hoc mare, huius maris: cubile, cubilis. Cepe genere neutro uoce indeclinatū. Bonis authoribus in usu est hæc cepa, huius cepæ. Aut pluraliter hæ cepæ, arum. Colum. li. 10. de cultura agrorum: Lachrymosaq; cepa. Idē lib. 12. cap. 10. Pompeianā uel Ascolonian cepam. Idē lib. 12. cap. 56. Exiguam cepā aridam.

I. Y.

Nomina in i & y finita uoce nō inflectuntur, sed sunt ἄκλιτα, ut gūmi, sināpi, frugi, Moly. Legitur gummis & sināpis in recto. Columella libr. 12. cap. 55. Semen sinapis diligenter purgato. Idem libro decimo, De cultu hortorum, Fletum factura sināpis.

O.

1 Nomina in o finita nis assumpta producūt o in genitiuo, ut mango, mangonis: Agāso, agasonis: leo, leonis: sermo sermonis. Gentilia o corripiunt, ut Saxo, Saxŏnis: Macedo, Macedŏnis. Excipiūtur Anio (quod & Anien) Aniēnis: Nerio, Neriēnis. Apud Aulum Gell. 13. cap. 22. Fluuius Italiæ in Tiburtina regione.

2 Nomina in do & go fœminina, mutant o in inis penultima breui, ut dulcedo, dulcĕdinis: propāgo, propaginis. Adduntur his Appollo, ĭnis: homo, ĭnis: sic nemo, ordo, cardo, Cupido tam pro deo amoris quàm pro re ipsa, turbo, turbĭnis: Turbo, Turbōnis proprium gladiatoris: unedo, unedōnis facit: caro, carnis. Virtus, fortitudo, potentia, &c.

C.

Lac, lactis: halec, halecis habet. Legitur apud Plautum hoc lacte: Neq; aqua, inquit, aquæ: nec In Menechmis act. 5. scen. 9.

lacte est lacti, crede mihi, usquam similius.

AL.

Nomina in al adiecta is genitiuum formant penultima longa, ut animal, animalis: uectigal, ālis: sal, salis priorem breuem habet. Sic & peregrina, ut Hannibal, Hannibălis.

EL.

Duo sunt in el neutra, quæ lis adiecta genitiuum faciunt, mel, mellis: fel, fellis, Daniel ac reliqua peregrina is subiecta genitiuum pariunt penultima longa.

IL. OL. VL.

Nomina in il & ul, in genitiuo assumunt is penultima breui, ut uigil, uigĭlis: consul, consŭlis. Sol, solis penultima longa.

AM. EM.

Nequam ἄκλιτον est. Tantundem in genitiuo tantidem. Teren. Adel. Tantidem emptam. In accusatiuo tantundē. Totidē plurale ἄκλιτον est.

AN. IN.

Nomina in an & in Græca omnia, is recto addita genitiuū faciūt penultima lōga, ut Titan, Titanis: Pœan, Pœanis: Euan, Euantis. Ver. li. 6. Illa chorum simulans Euantis orgia circum. Sed quia ultimę syllabæ ratio repugnat, quidam accusandi casus pluralis numeri esse malunt. Vt sit Euanteis Phrygias pro bacchantes. Delphin, delphinis. Hæc in in etiā in is apud Græcos exeunt, ut delphin & delphis, ob idq; ab illis δίκλιτα, id est, duplicis terminationis dicta.

No

EN.

Nomina in en breue mutant en in ĭnis penultima correpta, ut numen, numĭnis: pecten, pectĭnis, lumen, lumĭnis: bitumen, bitumĭnis.

Momina in en longum assumunt is in genitiuo, ut ren renis: splen, splenis: italien, syren, & hymen.

ON.

Nomina in on finita is adiecta faciunt genitiuum: & in primitiuis o longum habent, ut Sinon Sinonis: Simon, Simonis: Babylon, Babylōnis: Helicon, Helicōnis. In deriuatis o ferè breue, ut dæmon dæmŏnis, canon, canŏnis, Orion interim o breue, interim o longū habet. In his nominibus, utpote Græcis, Græcā Grāmaticen cōsulas necesse est: quæ quidem tibi cōmōstrabit, quando penultima uel breuis uel longa sit. Quædam Græca in on inflectuntur per tis, ut Acheron, Acherontis: Bellerophon, Bellerophontis: Xenophon, Xenophontis.

Iugula, S. Jacobi stab.

AR.

Nomina in ar assumunt is in genitiuo penultima breui, ut Cæsar, Cæsaris: nectar, nectăris: bostar, ăris: lar, lăris. Baccar, ăris: par in recto longum, in obliquis penultima breui, ut păris: ita compar, dispar, impar. Nar, naris penultima longa: far, farris duplicato r, ad differentiam for faris. Neutra deriuata penultimant longa, ut torcūlar, torculāris: lupanar, lupanāris: lacunar, lacunāris: sic laquear, calcar, puluīnar. Sub-

Hasel wurtz.

Lacunar et laquear, Trâmbt.

ligar penultima correpta. Lar pro imperatore Veientorum Lartis. Epar, epatis, penultima correpta.

ER.

1 Nomina in er assumunt *is* penultima breui, ut acer, acĕris, pro arbore: anser, anserĕris: agger, aggeris: carcer, carcĕris. Mulier, muliĕris penultima breui ueteres pronunciarunt, sed in carmine cum nimis multę breues alioqui concurrant e longum fecerunt.

2 Adiectiua in ber, cer, & ster, mutant er in ris in genitiuo, ut celeber, celebris: saluber, salubris: alacer, alacris: acer, acris: uolucer, uolucris: palustris, palustris. Sequester Cicero tertia declinatione sequestris fecit, Plautus sequestrum secunda. Vber & puber ĕris habent penultima breui.

Cicero actione 2. in Verrem: Aut sequestres aut interpretes corrumpendi iudicij.

Imber & ab eo composita, bris faciunt in genitiuo, ut imber, imbris: september, septembris. Ita october, nouember, december: mulciber, mulciberis, & mulcibris.

3 Nomina in ter tris faciunt, ut pater, patris: mater, matris: linter, lintris: accipiter, accipitris. Iter ab Antiquo recto itiner, itineris facit: Iupiter, Iouis: later lateris.

4 Nomina Græca in ter assumunt is penultima longa, soter, sotēris: character, characterēris: crater, cratēris: spinter, spintēris: clyster, ēris, &c.

IR. YR.

Nomina in ir addunt is penultima breui, ut graddir,

gaddir, gaddiris: martyr, martyris: peregrina & Græca sunt.

OR.

1 Nomina in or Latina, masculini, fœminini, uel communis generis, o producta ac is subiecta genitiuum faciunt, ut dolor, dolōris, uxor, uxoris: author, authōris: uictor, uictōris: candidior, ōris. Adde composita à nomine color, ut concŏlor ōris: discŏlor, ōris: uersicŏlor, ōris.

2 Nomina Græca, & composita à nomine corpus, & decor, assumpta is genitiuum pariũt penultima breui, ut stentor, ŏris: Castor, ŏris: Nestor, ŏris: rhetor, ŏris: bicorpor, ŏris: indĕcor, ŏris: dedĕcor, ŏris. His addas memor, immemor, arbor, æquor, marmor. Cor format cordis. Ador adŏris uel adōris apud ueteres, alioqui non admodum usitatum in obliquis. Priscianus lib. 6.

VR.

Nomina in ur adiecta is genitiuum formant penultima breui, ut uultur, uulturis: sulphur, sulphuris: sic augur, furfur, guttur, murmur, fulgur, & cætera. Fur, furis, penultima longa. Hæc sequentia, ebur, femur, robur, iecur, ŏris habent correptam. Iecur, iecoris, etiam iecinoris & iocinoris apud Plinium, à rectis obsoletis.

AS.

1 Nomina in as abiecta s & assumpta tis genitiuum absoluunt penultima longa, ut bonitas, ātis: alpinâs, ātis: Mœcenas, ātis. Excipiuntur

monoſyllaba, as, aſsis: uas, uaſis: uas, uadis pro ſponſore: mas, maris. Hęc fas, nefas, nugas, ἄπαξ λεγόμενα ſunt. Anas anatis penultima ancipiti, teſte Bebelio. Rufus Feſtus in Arato.
Martialis & Macer a corripiunt.

2 Nomina Græca maſculini generis gignendi caſum per antis formant, ut Pallas, Pallantis, adamas, adamantis: ſic elephas, gigas, Atlas. Excipitur Arcas, Arcadis & Arcados.

3 Nomina Græca & patronymica, fœminini generis, genetiuum per adis faciunt penultima breui, ut Pallas ădis: lampas, ădis: Hebdomas, ădis: Dorcas, ădis. D. Glarean. olympiás, olympiádos: Ilias, ădos & ădis.

ES BREVE.

1 Nomina in es breue, es abiecta genitiuum formant per ĭtis penultima breui, & ſunt uel maſculina uel communia, ut ceſpes, fomes, ames, trames, poples, palmes, merges, limes, gurges, ales, ſoſpes, diues, pedes, eques, miles, hoſpes, ſuperſtes, &c.

2 Hæc ſequentia s mutant in tis in genitiuo penultima correpta, ut præpes, ĕtis: hebes, ĕtis. Sic indiges, perpes, teres, interpres, impes ĕtis.

3 Compoſita à ſedeo genitiuum per idis faciunt penultima breui, ut obſes ĭdis: ſic præſes, deſes, reſes.

ES LONGVM.

1 Nomina in es longum tertij flexus commutant es in is in caſu patrio, ut ſedes, ſedis: cædes,

cædis:

cædis: sic clades, feles, fames, labes, moles, nubes, uulpes, strages, pubes, rupes, proles, sordes, sepes, soboles, uates, uepres, uerres, sudes. &c.

2 Hęc crescentia genitiuum per ētis faciunt penultima longa, Vt Hagnes ētis: ita lebes, tapes, cures, locuples, magnes, mansues, quies, & eius compositum inquies, cres, requies ētis & ēi.

3 Nomina Græca in es uirorū propria quædam genitiuum per ētis absoluunt penultima producta, ut Chremes, ētis: sic Laches, Thales, Hermes, Dares, Rānes, Menes. Quædam ex his genitiuum in is etiam recto parisyllabum habent, ut Chremes Chremis, & Chremetis.

4 Pes pedis format pen. cor. cum omnibus cōpositis suis, ut bipes, tripes, quadrupes, compes, sonipes, &c. Apes longum & apis breue in recto, huius apis.

5 Aries, abies & paries s in tis mutata genitiuum pariunt penultima breui, ut huius arietis, abietis, parietis. Adduntur seges & teges.

6 Præs, hæres, merces in ēdis exeunt in genitiuo penultima producta, ut prædis, hæredis, mercedis. Aes æris, Ceres Cereris habet.

IS BREVE.

1 Nomina in is breue genitiuum ferè nominatiuo similē faciunt, ut collis huius collis: sic ignis, finis, unguis, anguis, auis, bilis, clauis, ensis, cutis, ædilis, panis, suauis, fortis, mensis, gentilis, axis, amnis, piscis, torris, uallis, uectis, ex-

anguis, huius exanguis, impubis, huius impubis & impuberis.

2 Hæc quatuor cinis, cucumis, puluis, & uomis, ĕris habent penultima breui, ut cineris, nã olim in er desinebant. Pubis, pubes, & puber ĕris habent penultima correpta.

3 Hæc quatuor, cuspis, cassis, aspis, & lapis in ĭdis genitiuũ finiunt penul. correpta, ut lapidis.

4 Hæc duo, pollis & sanguis, per ĭnis flectũtur penultima breui. Analogia arguit sanguen & pollen nominatiuos esse. Semis semissis pro pondere, pro dimidio ἄκλιτόν est.

5 Ingens Græcorum nominum turba in is per ĭdis genitiuum faciunt imparisyllabum penultima breui, ut Diplois, Aegis, Endromis, bolis. Propria uirorũ Alexis, Daphnis, Paris, Adonis. Mulierum Bacchis, Chrysis, Misis, Thais. Deorum ac dearum nomina, Isis, Osyris, Apis, Anũbis, Serapis. Item fluuiorũ, Phasis, Tigris, Tybris. Librorum deniq; nomina, ut Aeneis, Achilleis, Thebais. Hæc tamen non raro genitiuum recto similem faciunt.

Endromis calceamentum cursorum & uestis uillosa ac hirsuta. Bolis, iaculum.

De Græcis terminationibus τέλος τος, & eos in Hellenismis. Hæc Thetis Thetidis mater Achillis: Tethys uxor Oceani Tethyos facit.

IS LONGVM.

Nomina in is longum ītis habent in genitiuo penultima longa, ut lis litis, dis ditis. Et gentilia, ut Quiris Quiritis, Samnis ītis, Sunamis ītis. Glis gliris facit. Simois simoentis.

Nomina

YS.

Nomina in ys Græca Latinum genitiuum in yis,& ys, Græcum in yos faciunt, ut phorcyis & phorcys, Erinnys, Erinnyis, & Erinnys. Quædam in dis Latine, in dos Græce, ut chlamys,chlamydis & chlamydos.

OS.

1 Nomina in os genitiuos faciunt per ōris penultima longa,ut lepos lepōris,honos honōris: sic clamos,uapos,flos,ros,mos,os,odos, glos. Arbos arbŏris,penultima breui.

2 Illa uero dos, cos, nepos, sacerdos, ōtis habent penul. longa. Compos & impos ōtis penult. breui. Custos custōdis,bos bouis,os oſsis.

3 Nomina Græca in ως, quædam ois habent, penultima longa, ut Heros herôis, Minos minôis,quędam ōtis,ut Rhinoceros ōtis, Aegoceros ōtis, monoceros ōtis. Athos siue Athon Athonis,nomen montis.

VS BREVE.

1 Nomina in us breue genitiuū in ŏris finiūt penultima correpta, ut corpus ŏris: sic decus, frigus,nemus,tergus,littus,ſtercus,lepus,tĕpus.

2 Nomina in lus, nus, dus,genitiuos per ĕris formant penultima breui,ut ſydus ĕris: sic olus, ſcelus,uellus,funus,genus,uulnus, onus, munus, Venus,fœdus,pondus.

3 Hæc ſeptem & ipſa ĕris habent penultima correpta, acus ĕris, latus, opus, uiſcus, hulcus, uetus,glomus glomeris.

4 Hæc quatuor, facinus, penus, pignus & fœnus, ŏris habent penultima correpta, posteriora duo etiam ĕris: id quod illorum uerba pignero & fœnero commonstrant. Dat pecus hæc pecudis, pecus hoc pecoris sibi iungit. Intercus intercŭtis penultima correpta. Et ligus ŭris.

5 Comparatiua neutra in us, ōris habent productam instar communium suorum, ut candidius ōris. Plus tamen pluris facit.

VS LONGVM.

1 Nomina in us productum, genitiuum formant in ūtis penultima longa, ut uirtus ūtis: sic salus, iuuentus, senectus, seruitus. Excipiuntur tellus ūris, incus, udis, palus ūdis, cuius ultimam Horat. corripuit.

Regis opus sterilisq; diu palus aptaq; remis.

2 Nomina monosyllaba ūris habent penultima producta, ut pus pūris: sic thus, ius, crus, mus. Præter grus gruis & sus suis.

3 Nomina Græca in pus, ἀπὸ τοῦ πῶς ποδὸς composita in ŏdis genitiuum finiunt penultima breui, ut melampus ŏdis: sic Antipus, Sciopus, Oedipus ante penacutum, quod & secunda declinatione inflectitur, polypus polypi magis in usu quàm polypodis.

4 Nomina Græca in us contractum genitiuum in untis faciunt, ut opus untis: sic Cerasus, Amathus, Hydrus, Trapezus, Solus, Phycus urbium nomina.

Vide Iosephum lib. 18. cap. 4.

AVS.

Duo

Duo sunt noīa in aus, laus laudis, fraus fraudis.

B S. M S. P S.

1 Nomina in bs, ms, & ps, i litera intercalata genitiuos formant, ut Arabs Arabis, plebs plebis, urbs urbis, calybs calybis, scrobs, scrobis, scobs scobis: hyems hyemis, daps dapis, seps sepis, stirps stirpis stips, stipis, hydrops hydropis, cyclops cyclopis penultima lōga, ops opis, inops inopis, penultima breui, cinyps cinypis Græcum, Priscianus.

2 Polysyllaba in ebs & eps e in i mutato genitiuī in bis & pis finiunt, ut cælebs cælibis, princeps principis, municeps municipis, adeps adipis, forceps forcipis, particeps participis. Auceps huius aucupis.

3 Composita à nomine Caput, e in i mutato genitiuos per itis faciunt penultima breui, ut anceps ancipitis, sic biceps, triceps, pręceps. Legunt ur, *Ancipes & præcipes.*

L S. N S. R S.

Nomina in ls, ns, rs, mutant s in tis in genitiuo, ut plus pultis: *sic infans*, parēs, oriens, lens, sons, insons, fons, frōs, Aruns aruntis, ars artis: sic Mars, pars, iners, expers, solers, sors, mors, consors, cohors, Tyburs.

Composita à nomine Cor in rs, s in dis transferunt in gignendi casu, ut concors concordis: sic excors, discors, uecors.

Hæc nomina, lens, p bestiola, glans, iuglans, *libripens*, frons siue frondis pro foliato & uiri-

di ramo, dis habent in genitiuo, lendis, glandis, libripendis, &c.

T.

Caput & duo eius composita synciput & occiput, ĭtis habent in genitiuo penultima breui, capitis, syncipitis, occipitis.

AX.

1 Nomina in ax genitiuum per cis formant, penult. producta, ut audax, audacis: sic fornax, fallax, procax, emax, edax, thorax, pax, pertinax, corax, & compositum nyctícorax, &c.

2 Hæc sequentia gignendi casum in cis syniunt penultima correpta, fax făcis: sic colax, candax, similax, styrax uel storax, & alia quædam Græca: Syphax, & pharnax penultimam habent indifferentem. Pheax ācis. Astyānax & hipponax actis habent.

EX.

1 Polysyllaba in ex per ĭcis genitiuos formăt penultima breui, ut codex ĭcis: sic silex, apex, culex, pumex, cortex, pellex, uindex, pulex, pollex, ramex, cortex, latex, &c.

2 Hæc sequentia e ante cis habent, fæx fæcis, nex nĕcis, prex prĕcis, reses resĕcis, Halex halĕcis fluuius Rheginum à Locrensi agro discriminat, nomen adhuc retinens. Dionysius ἐπὶ προχοῖς εἰμὶ ἄλυκος, Qua currit flumen Alecis: scribitur & sine aspiratione Alex: ueruex ueruēcis: uibex ĭcis, penultima producta: suppellex, suppellectilis: senex, senis.

Nomina

3 Nomina à uerbis *in* go deducta, x abiecto, & assumpta gis, genitiuum formant, ut rex, rēgis: lex, lēgis: exlex, exlēgis; illex, illēgis: grex, grĕgis: remex, remĭgis.

I X.

1 Nomina *in* ix genitiuos formant per ĭcis penult. breui, ut calix ĭcis: sic uarix, fornix, hæc appendix, larix, salix, coxendix, silix, &c.

2 Adiectiua & uerbalia in ix genitiuos finiũt in īcis penultima longa, ut felix, felīcis: ita pernix, actrix, assetrix, pistrix, &c.

3 Hæc sequentia in ix īcis habent penult. producta, ut cornix īcis: sic radix, lodix, perdix, spadix, phœnix, ceruix, matrix. Porrò nix, niuis facit: pix, picis breue: mastix, mastĭgos.

Y X.

Sandyx & bombyx, ycis, habent penultima longa. Onyx & sardonyx, ychos breue. Iapyx filius Dedali, & Iapix cum i Latino pro uento. Ortyx, stryx, styx, & phryx, ygis habent penul. correpta. Bebryx penultimam indifferentem habet: aliquis ex Bebrycia, id est maiori Phrygia, Vale. Flac. lib. 2. Bebrycis & Scithici procul inclementia saxi. Silius lib. 2. Possessus Baccho sæua Bebrycis in aula. Ortyx coturnix.

O X.

Nomina in ox, in ōcis genitiuũ finiunt penultima lõga, ut ferox, ōcis: sic celox, atrox, uox uōcis: uelox, uelōcis. Hæc duo præcox & Cappadox, ŏcis habent penult. corepta. Nox, noctis.

VX.

Nomina in ux commutant x in cis in genitiuo, partim penultima longa, ut lux, lūcis: pollux, pūcis: partim penultima breui, ut Volux, ŭcis. Ita redux, crux, dux, trux, nux, frux, frūgis penultima longa. Coniux, ŭgis penultima correpta: faux, faucis.

ALX. ANX. INX.
unx. arx. erx.

Nomina in x, præcedente l n r, x explosa, genitiuos per cis formant, ut falx, falcis: calx, calcis: sic lanx, bilanx, lynx, deunx, sesçunx, septūx, quincunx, arx, merx. Excipe phalanx, phalangis: sic Sphinx, et Syrinx, Syringis, et Syringos.

De Accusatio singulari.

Accusatiuus tertiæ inflexionis in em breuem frequentius desinit. Est quando in quibusdam nominibus in is desinentibus, Latinis, ac item Græcis, tum proprijs tum appellatiuis, in im finit, ut hāc turrim, burim, sitim, uim, peluim, tussim, maguderim. Columella lib. 14. Cap. 55. Sināpim quemadmodū facias scripsit. Grœca sunt hæc, ut Genesim, diœcēsim, phrasim, hæresim, metamorphosim, emphasim, nemesim, poēsim, Alexim, Daphnim, Ararim, phasim, phtisim, pleurisim, prolepsim, syllepsim, charybdim, Syrtim, orexim, praxim, Annubim, Busirim, Ibim. Item deriuata à polis, ut Nicopolim, Metropolim, Decapolim, Cōstantinopolim, Neapolim, &c.

Hæc

Hæc ferè im & em habent, securis, puppis, restis, nauis, febris, sementis. Colum. lib. 11. cap. 2. Ante aliam sementim dixit. Et Mar. Cato de re rust. cap. 27. Sementim facito ita. Idem cap. 116. Lentim quomodo seruari oporteat. De in & a Græcis terminationibus in Hellenismo.

De ablatiuo in e.

1 Nomina tertij declinatus ablatiuum regulariter per e finiunt, ut pectŏre, peste, dolōre, classe, torque, rude pro uirga.

2 Propria nomina adiectiuis similia ablatiuos in e terminant, ut Felice, Clemente, Martiale, Iuuenale, &c.

Quæ i tantum habent.

1 Nomina neutri generis in e: item eiusdem generis in al & ar penultima genitiui longa, ablatiuum in i terminant, ut ab hoc mari, uectigāli, torculāri, calcari. Sequentia nomina ablatiuū in e finiunt, Gausape, præsepe, Soracte, Prænestе, Celene, Reate: sal & far.

2 Adiectiua in er & is, neutra in e formantia, ac item mensium nomina & quorum accusatiui im faciunt, ablatiuos in i finiunt, ut saluber, salubri: acer, acri: bipennis, bipenni: rudis, rudi pro recente: september, bri: sic Quintilis, Aprilis, October: & imber, imbri: sitis, siti: tussi, Tyberi, sementi apud Colum. li. 11. ca. 2. Strigilis ab hac strigili. Horat. Furtiua mutat strigili.

Sementi facta inoccare oportet quod spartoris.

E & i in ablatiuo.

1 Adiectiua unius exitus ablatiuos pere & i faciunt, ut uelox, ueloce, & ueloci: audace, & audaci: pare, & pari usitatius: duplice, & duplici: supplice, & supplici: memore, & memori frequẽtius: ancipite, & ancipiti: cõcorde, & concordi: inope, & inopi: tridente, & tridenti: locuplete, uel locupleti: uigile, uel uigili: terete, uel tereti, Excipiuntur, hospes, sospes, pauper, degener, uber, quæ ablatiuum in e terminant.

2 Nomina comparatiua, Gentilia circunflexa in âs, ac itẽ substãtiua in uis, ctis, mnis, gnis, guis & alia ferè omnia quorum extrema syllaba in is desinit, à duabus incipiens consonantibus, quæ scilicet in genitiuo non crescunt, ablatiuos in e & i formant, ut maiore, uel maiori: alpinate, uel alpinati: aue uel aui: uis tamen ui habet: uecte, uel uecti: amne, uel amni: igne, uel igni: angue, uel angui: poste, uel posti. Excipe, pestis, testis, uestis, quæ ablatiuum e solum terminant.

3 Nomina in trix uerbalia, & quorum accusatiui singulares in em & im finiũt, ablatiuos in e & i formant, ut naue, & naui: febre, & febri: puppe, & puppi. Additur suppellex, suppellectile, & suppellectili. Terentius, Pluscula suppellectile opus est. Actrix, actrice, uel actrici: uictrice & uictrici.

Nominatiuus, accusatiuus, & uocatiuus plurales neutrorum.

Nomina

1 Nomina neutri generis e in auferendi casu finientia, nominatiuum, accusatiuum, et uocandi casum in a terminant, ut pectora, tempora, corpora, frigora.

2 Nomina neutra adiectiua, quorum ablatiui singulares i, aut e & i simul finiunt, tres in plurali casus per ia formant, ut cubili i, cubilia: facilia, uectigalia, paria, felicia. Præter comparatiua quæ in a exeunt, ut meliora, grauiora, plura: ueteres etiam pluria dixerunt. Vnde Terentius in Phor. Compluria. Item uetera nõ ueteria. Vsus apluſtra & apluſtria fecit. A memor nec memoria nec memora legimus.

Genitiuus pluralis.

1 In ium desinunt omnia in genitiuo plurali, quorum ablatiui singul. finiunt i tantum, uel e & i simul, ut cubilium, uectigalium, torcularium, humilium, uirium, turrium, audacium, felicium, sapientium, ancipitium, tricipitium, & reliqua à nomine caput.

2 Nomina comparatiui gradus genitiuũ pluralem per um formãt, ut maiorum, meliorum: plus tamen plurium facit. His accedunt sequentia, uigilum, supplicum, pugilum, strigilum, cõplicum, ueterum, memorum: & quædam composita, ut artificum, opificum: item consortum, iñopum, parentum. Cicero, De complexu parentium suorum, dixit. Et Horat. lib. car. 3. Od. 24. Dos est magna parentium uirtus.

3 Nomina in e solam ablatiuum finientia, si

nominatiui illorum duabus finiunt consonantibus, genitiuos plurales in ium terminant, ut partium, urbium, falcium, glandium, trabium, mercium, artium, calx calcium. Excipiuntur polysyllaba in bs, ms, & ps, quæ in um exeunt, ut hyemum, principum, municipum, forcipum, cœlibum, mancipum, &c. Arabs, abum: Cyclops, ōpum.

Hyems Glariano tres in plurali casus desiderat, cui lubens subscribo.

4 Vbi pares syllabę in nominandi casu ac genitiuo sunt, plurales genitiui fiunt per ium, ut collium, mensium, ædium, aurium, uitium, sedium. Cicero et sedum dixit, pro Sextio. Ambāges, ambāgum. Ouid. Meta. 7.

Immemor ambagum uates obscura suarum.

Apes, apium, & apum. Ouid. Meta. 15 fab. 341.

Colum. li. 9. cap. 10. quæ sit forma regis apum.

Nónne uides quos cæra tegit sexangula fœtus
Melliferarū apium fine mēbris corpora nasci.

Hæc, uates, proles, iuuenis, canis, panis, uolucris substantiuum, & hęresis, um habent: legitur & hæresium.

5 Nomina in is longam definētia, genitiuum pluralem in ium formant, ut lis, litium: sic dis, Quiris, Samnis, Sunamis.

6 Pluralia in es, ac monosyllaba in as, genitiuum pluralem per ium faciūt, ut Manes, ium: sic tres, sales, penates, quod & um habet per syncopen: quinquatres, ium. Excipiuntur opes, proceres, maiores, minores, primōres. Luceres, lemures, quæ um habent. As assium: sic mas, uas uadis.

Nomina

7 Nomina in a,o,an,en,in,on,in ar non neutra & substantiua: in er substantiua, in ir, or, ur, & as, præter Gentilia & monosyllaba, in es breue: in is quorum genitiuus crescit, in ōs & us: item in x substantiua, præter quædam monosyllaba: in t denique substantiua, genitiuum pluralem in um finiunt, ut poēma, ătum: hominum, libidinum, caliginum, Titanum, agminum, delphinum, canonum, Cæsarum, aggerum, cratērum, patrum, martyrum, oratorum, augurum, Chiliadum, ciuitatum, lampadum, gigantum, militum, poplitum, lapidum, nepōtum, sacerdōtum, uirtutum, corporum, thoracū, pumicum, senum, salicum, cicatricū, Lyncum, uocum, ducum, capitum. Excipiuntur caro, carnium: lar larium: linter, lintrium: cor, cordium: ales, alitum & alituum, per epenthesin: os, ossium: bos, boum: ius, iurium: mus murium, nix, niuium: nox, noctium: faux, faucium & faucum: halec, halecium pro pisce. Laus & fraus um habent.

Eras. li. de ratione cōcion. 3. De pronuntiatiōe. Vox, inquit, nōnullis parū est articulata linguæ faucumq; uicio.

Nomina Græca in sis, si genitiuum pluralem admittunt, in on terminationem Græcam exeunt, ut Metamorphoseon, matheseon, dicœcesion, &c. De festorū nominibus in Herroclito.

Genitiuus pluralis nonnunquam per synco pē effertur, maxime in participijs in ns, ut amā-tum, uel amantium: legentum, uel legentiū, &c. sapientum, cœlestum, Ouid. lib. Fast. 4. Cœlestū matrem cōcaua puppis habet. Mensum. Ouid. lib. Fast. 5. Cedantq; tibi cōfinia mensum. Idem

Meta. 8. Et quos sustinui, bis mensum quinq; labores? Eobanus, qui copia Musam Ouidianam refert, Psal. 5. Sanguinis et cedum cupidos deus odit, &c. Bos in dandi casu & ablatiuo plurali bobus habet euphoniæ gratia.

Eras. lib. 5. Epist. 30. Eobanum æui nostri Naſonem, &c.

Accusatiuus pluralis nominum, quorum genitiui recto similes sunt: item quorum nominatiui in duas consonantes exeunt, per antiquam diphthongon ei nō semel enunciatur, ut acreis, salubreis, parteis, arteis, fons fonteis, decembreis, &c. Vis pro uires apud Lucretium in 2. Sed quam multarum rerum uis posſidet in se, atque poteſtates. Saluſt. in 3. hiſtoriarum, Male iam assuetum ad omnes uis controuersiarum.

Casus Helleniſmi.

Ex quinta Græcorum declinatione imparisyllaba, hæc tertia uarias recti terminationes usurpat, in a n r s x, ut ænigma, Titan, lyen, delphin, canon, Pallas, lampas, adamas, Chremes, Apocalypsis, rhetor, martyr, Antrax, onyx, &c. *Genitiuum in os.* Vergilius Aeneid. 8. Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.

Datiuum in i breue. Statius i 1. Achill. Palladi littoreæ celebrabat Scyrus honorem.

Accusatiuum in a. Marti. Pallada præterea res agit illa tuas. Etiam in in & yn, ut Thetyn, Daphnin.

Vocatiuum habet nominatiuo similem Attice. Communis lingua abijcit s. Verg. 11. Quin ego nō alio dignor te funere Palla. Idē Bucco.

Mirabar

Mirabar quid mœsta deos Amarilli uocares.

Genitiuum pluralem in on, ut epigrammaton, Metamorphoseon. Marc. ep. 30. Argutis epigrāmatonlibellis.

Nominatiuum pluralem, in es breue, ut Arcades ambo.

Accusatiuū in as, ut lampadas, crateras. Interim in is, ut Sardis, syrtis, quæ apud Græcos habent nōnūquam in eodē casu eis diphthōgon.

QVARTA DECLINAT.

Quarta declinatio duos sortitur exitus in recto singulari, us & u: posterior solum neutrorū est, & in singulari per omnes casus uagantur. Genitiuus singularis, nominatiu⁹, accusatiuus, & uocandi casus plurales in us productam desinūt. Datiuus in ui longum. Accusatiuus in um breue. Vocatiuus recto similis est. Ablatiuus in u productam. Genitiuus pluralis in *ŭŭm* correptam. Datiuus & ablatiuus in bus breue. Neutra suo more Nominatiuū, accusatiuum, & uocandi casum in a terminant.

Typus.

Ntūs Gtūs Datūs Actūs Vtūs Abltūs.

Singular. { Vs---us--ui---um---us } u
{ V----u---u----u----u }

Pluralit. { Vs } uum-bus { us---us } bus
{ A } { a----a }

Vs

Annotatiunculæ.

1 Genitiuum u ŭs & i reperies, id quod Archaismō uocāt, Terent. in Heauton. Eius anuis

causa opinor. Idem in Andria, Nihil ornati, ni-
Terent. in Hecyra act. 5. scen. 3. hil tumulti Ita fructi, quæsti gratia. M. Cato ca. 7. de re rust. In eodem fundo suum quodq; fructi genus, &c. M. Varro li. 1. Eius enim saliuam esse fructuis uenenum.

2 Datiuum singularem in u. Verg Georg. 4. Nam aliæ uictu inuigilant. Idem, Quod neq; cõcubitu indulgent. Idem, Teq; aspectu ne subtrahe nostro.

3 Genitiuus pluralis apud poëtas inuenitur, sed raro per syncopen prolatus. Verg. Aen. 6. Quæ gratia currum, pro curruum. Potest. & synalœpha esse.

4 Hæc nomina, arcus, artus, partus, differentiæ & ambiguitatis uitandæ gratia in dandi casu & ablatiuo pluralibus ŭbus habent. Illa uero, ficus, tribus, acus, ueru, portus, lacus, specus, quercus, euphoniæ fortasis causa, nullo alioqui discrimine cogente & ipsa u ante bus seruãt. Sed in his doctorũ consuetudo obseruanda est.

· Ouid. 2. Fastorum, ueribus scripsit.

Dumq; sacerdotes ueribus transfixa salignis
Exta parant. Idem in eodem paulo infra,
Veribus stridentia detrahit exta.

QVINTA DECLINAT.

Quinta declinatio unam habet terminationem es produc. Suntq; huius declinationis omnia nomina fœminini generis, præter dies incerti generis, in plur. masculini tantum: & meridies compositum uirilis generis.

Geni-

Genitiuus & datiuus singulares in ei diuisas syllabas desinunt. Accusatiuus in em correptam. Vocatiuus nominatiuo suo similis est. Ablatiuus in e longum. Nominatiuus, Accusatiuus & Vocatiuus plurales in es productam. Genitiuus pluralis in erum correptam. Datiuus & ablatiuus in ebus correptam.

Typus.

Ntūs Gtūs Datūs Actūs Vtūs Abltūs.

Singular. Es---eī---eī---em---es---e

Pluralit. Es----erum-ēbus-es---es----ebus

Obseruationes.

1 Veterum ætas genitiuum singularem nonnunquā in es e & ie terminauit, ut facies huius facies. Vergil. 1. Geor.

Libra die somnique pares ubi fecerit horas, &c.

Vide Gell. lib. 9. cap. 7. Prisc. lib. 7. in calce.

2 Penultima genitiui & datiui singularis, ē præcedit *i*, protelatur: sin consona, corripitur, ut acies *aciēi*, fides *fidĕi*.

3 Omnia nomina Quinti ordinis, genitiuū, datiuum & auferendi casum in plurali desiderant, præter hæc acies, dies, facies, meridies, progenies, res, species. Lib. apophtheg. 4. Apophthegmate Phocionis 11. legitur, magnificis spebus: & lib. Machab. 2. cap. 7. uanis spebus. Cætera permittimus consuetudini. Eruditorum consensum intelligo, non cuiuslibet indocti barbariem ac corruptelam. Cōsuetudo

4 Quædam in ia primi ordinis nomina per ies in hoc flexu inflecti possunt, ut segnicia segnicies, luxuria luxuries, materia materies, &c.

DE HETEROCLITIS.

Lege Iacobum Ludouicum, lib. de uerborum electione 2. ca. 13.

Hactenus de regulari inflexu, qui analogiam id est proportionẽ sequitur, dictum est: restat ut de Anomalis dicamus. Sunt autem perpauca, in quèis usus Latine loquentium discesit ab Analogia, ὁμαλὸν Græcis æquale est, unde Anomala dixerũt ea quę ad regulã non quadrarent. Ex his Grammatici, alia Heterogenea faciũt, ut hoc cœlum, hi cœli: hic locus, hæc loca: Alia Heteroclita, ut uas uasis, hæc uasa uasorũ. Quædam Defectiua, ut natu, sponte. Quædã deniq; Redundantia, ut domus. Quæ tamen omnia una receptaq; uoce Heteroclita uocant, id est uarie declinata. Hæc authore Thoma Roberstono Eboracensi trifariam partiuntur, in Variantia scilicet Defectiua & Redundantia. Quæ uariant Heteroclita sunt, uel genere tantũ, uel declinatione tantum, uel utroq; simul.

VARIANTIA.

Heteroclita genere tantum, in singulari Masculina, in plurali Neutra, sunt hæc:

Menalus	a	Tagygetus	a
Dindymus	a	Tenarus hæc	a
Ismarus	a	Massicus	a
Tartarus	a	Gargarus	a

Hæc

Hæc in singulari Masculina sunt, in plurali Neutra & Masculina.

Sibilus, sibili & sibila: sic locus, iocus & auernus. Leguntur interdum è priori numero quædam etiam in singulari neutra, maxime in propria eorum lingua, ut τὸ μαίναλον τὸ πήλιον.

Adduntur à quibusdam cetus in plurali, ceti & cete grandia. Plin. lib. 32. cap. 1. in calce hoc cetos dixit: piscis 600. pedum longitudine. 350. latitudine.

Pileus, usitatius pileum, in plurali Pilei & pilea. Inde pileolus & pileolum Hipocoristica.

Hic supparus & hoc supparum, plural. suppari & suppara.

Hic baltheus & hoc baltheum, plur. balthei & balthea.

Hic infernus hæc inferna substantiue ab ecclasiasticis usurpatur, adiectiue omnis generis est in utroque numero.

In singulari Fœminina, in plurali Neutra.

Hæc Pergamus hæc Pergama plural. urbs Troia. Erat & alia Pergamus seu Pergamum regia Attali, patria Galeni medici, unde pergamena nomen habet.

Hæc suppellex, plurali supellectilia, Diomedi plurali caret. Festus supellectilis in recto habet.

Hæc carbasus, plural. hæc carbasa,

Hæc arbutus arbor, hoc arbutũ fructº. Verg. Dant arbuta syluæ. Hora. lib. car. 1. ode. 17. plural. in fœminino posuit Impune tutum per nemus arbutos Quærunt latentes.

Vulgo Endiuia, Wegwart

Hæc intubus (Romana uox est, authore Galeno, κιχόριον, inquit, τὸ ῥωμαϊστὶ λεγόμενον ἴντυβον λάχανον: quare nobis cum u breui non y scribenda est) hæc intuba & intubi, singul. etiam intubum. Vide Plin. lib. 29. cap. 8. & cap. 8. lib. 20.

Altilis adiectiuũ est authore Valla li. 1. cap. 8.

In singulari Neutra, in plurali Masculina & aliquando Neutra.

Hoc cœlum, hi cœli. Ennius et Varro pro cœlum, cœlus usi sunt, unde & cœlos dictos apparet. Est & cœlum, illud scalptorium instrumentum pro quo celte mendose legitur Iob 19. Plural. cœla. Ausonius, Talem fecerunt ferrea cœla deam. Cicero in Epistolis, Ille putabat te quæsiturum, num unum cœlum esset, an innumerabilia.

Hoc Rastrum, hæc rastra & hi rastri. Phocas raster declinari posse ait. Varro lib. de lingua Latina 4. Rastra & rastri: unde diminutiua rastellus & rastellum.

Hoc frenum, hi freni & hæc frena, testibus Diomede & Phoca.

Capistrum, hi capistri, hæc capistra. Hoc Argos, hi Agri, nomen trium urbium. Hoc filum, hi fili & hæc fila frequentius. Hoc claustrum & clostrum,

clostrum, teste Diomede, hi claustri, hęc claustra apud Verg. Lucanũ & alios legimus: claustros nusquam.

Hoc Porrum, hi porri, & hic porrus apud Celsum & Palladium.

Elysium utuntur authores nonnunquam substantiue singular. in neutro genere, ut cætera adiectiua in plurali adiectiue. Verg. Quamuis Elysios miretur Græcia campos. Ouid. Elysiasq; domos.

In singulari Neutra in plur. Fœmin.

Hæc sunt neutra quidem primo, muliebria rite secundo, Heteroclita genere & declinatione.

Hoc Nundinum, hæ nundinæ, in singulari rarius est Fab. Siue trino forte nundino prolongata. Liuius, Postquam comitia in trinundinum indicta sunt.

Hoc Epulum solenne & instructius conuiuium, hæ epulę quotidianus & parabilis cibus. Valla lib. 4. cap. 23.

Hoc delitium, hæ delitiæ. Plautus, Mea uoluptas, mea delitia, id est oblectamentum. Plinius & Solinus Delitiam habent. Delitia pro tigno regulare, lait/raf.

Idẽ in Rudẽte act. 2. scen. 1 otiũ ubi erit, tũ tibi operã ludo et delitiæ dabo.

Hoc Balneum hæ balneæ & hęc balnea: balneas usitatius: legitur & balneola.

Hæc duo Heteroclita sunt declinatione tãtũ,

Hoc uas uasis tertię inflectionis, hęc uasa uasorum secundæ. Ediuerso hoc iugerum iugeri secundi flexus, hæc iugera iugerum tertij, autho

ribus Phoca & Valla lib. 1. cap. 7.

Hæc amygdalus arbor, hoc amygdalum & hæc amygdala fructus.

Hæc pascua, hæ pascuæ & hæc pascua. Sen. in Thyeste, fatale pascuum dixit. Hæc zizania, hæ zizaniæ & hæc zizania: sacri scriptores etiam zizanium habent. Hier. Zizanium mixtum est tritico.

DEFECTIVA.

Defectiuum nomen est, quod in ueteri bello Grammatico, unum, duos, plures ue casus, aut è numero alterum amisit. Sunt autem defectiua uel casu uel numero. Porrò è casuum defectiuis quædam Aptōta siue ἄπτωτα uocantur: quædam Monoptōta, quædam etiam Diptōta, quædam denique Triptōta.

Ἄπτωτα.

Aptōta dicuntur, quæ à prima uoce nusquam deflectunt, nec ullum casum uoce uariant: hoc est, quæ uocem nominatiui solum habent. Ex hoc numero sunt nonnulla, quæ utrobique per omnes casus uniformiter discurrunt, ut Nequã, frugi, nauci, mancipi, &c. Quibus addũtur hæc pluralia, tot, quot, totidem, quatuor, quinq;, & similia usq; ad centum incluſiue. Sunt item alia quædam singul. ἄπτωτα quidem, ut cornu, genu, ueru, plurali uero πτωτα ut cornua, genua, uerua. Sunt rursum quorum usus non nisi in certis quibusdam casibus occurrit, ut fas, nihil, instar,

fiar, opus τὸ χρεία necesse, necessum, præsto, pon- Colum. li. 10. de cultura hortorum.
do, nefas, nil, tempe, cepe, Iupiter & quæcunq; istis similia leguntur. Expes nominatiuum habet, & uocandi casum. Hirsutaq; campe.

Μονόπτωτα.

Estq; monoptoton nomẽ cui uox cadit una, ut noctu, natu, iussu, iniussu, promptu, permissu, inficias, astu, pluraliter astus legitur. Noctu. M. Cato de re rustica. 156. Postea ponito pocillũ in sereno noctu. Ennius, Hac noctu filo pendebit Herruria tota. Vnde satis constat auferendi casus esse, non aduerbium. Hoc fortasis de diu dici potest. Sallustius, Diu noctuq; laborare. Sed hoc loco aduerbia esse uidentur. Hæc monoptota obliqui alicuius non recti terminationem usurpant.

Addita ab alijs.

Viscere ablatiuus solus. Lucretius lib. 1.
Visceribus uiscus gigni, sanguenq; creari.
Sueton. in uita Vitellij cap. 13. Quin inter altaria ibidem statim uiscus, & farra penè rapta è foco mandebat.

Flamine pro uento. Anienus flamen habet. Et Cicer. in Arat. Inferior paulò est aries & flamẽ ad Austri. Obice. Ouid. Meta. 14. Fab. 18.
Inuadunt, portasq; petunt, quas obice firmo
Clauserat.
Plautus habet obicem. Silius. lib. 4.
Et fidos cerrant obices accersere sylua.

Vergil. obicibus.

Macte uocatiuus. Veteres in recto mactus dicebant, id est magis auctus. Plinius, Macti ingenio cœli interpretes. Lucretius, Boues male macte diffugiunt. Veteres bouem thure aut uino insperſum Mactum appellabant. Liuius aduerbialiter uſurpat. Iuberem, inquit, macte uirtute eſſe.

Satias nominatiuus. Terentius Hecyr. act. 4. ſcen. 2. Satias me tenet ſtudiorum iſtorum, id eſt tædium. Idem in Eunuch. Nam ubi me forte ſatias cepit, commuto locum. Sillius & Gellius ſaties habent. Lucretius ſatiatem & ſatiate uſus eſt.

Διπτωτα.

Sunt Diptōta quibus duplex flexura remanſit, ut Spontis genitiuus apud Varronem. Colum. li. 9. ca. 4. Est enim ſatiua cytiſus, & altera ſuæ ſpontis. Columellam, Celſum, Gellium & Philelphum legitur. Sponte ablatiuus nuſquam non obuius.

Plus pluris. Priſcia. lib. 7. tribuit & illi dandi & auferendi caſum ſingulares.

Harum repetundarum, ab his repetundis. Vide Vallam lib. 1. cap. 34.

Iugeris genitiuus apud Melam in tertio. Iugere apud Tibullum.

Et multo innumeram iugere paſcit ouem. Varro lib. 1. cap. 10. ablatiuum plur. ſecundi declinatus uſurpat. In agro Romano, inquit, ac Latino metiuntur iugeris.

Verberis apud Lucanum. Verbere ablatiuo.

uo. Pluraliter integrum est.

Fors recti & uocādi casus, forte in ablatiuo.

Suppetiç noïatiuus pluralis, et has suppetias.

Tantundē ntūs et actūs, in genitiuo tantidē.

Impetis genitiuus. Silius, Nec frustra rapidi stimulāte Dolope fuisset Impetis alato, &c. Impete ablatiuus passim à recto impes, ἀχμών. Oui. Meta. 3. fab. 1. Impete nunc uasto.

Vicem Accusatiuus, uice habet in ablatiuo. In plurali genitiuum desiderat.

Addunt nonnulli, dica, dicam apud Latinos, apud Grçcos integrum est δίκη, & significat causam seu iudicium.

Tabi gtūs. Luca. in 6. Stillantis tabi saniem. Huic & ab hoc tabo. Vergil. Aeneid. 3. Et terrā tabo maculāt. Quinti. Expressum dentibus tabum. Sed tabes huius tabis, tabem, à tabe, per cętera nihil.

Laterem, ab hoc latere. Rectus tamen est later apud Vitruuium & Varronem. Columella lib. 6. cap. 13. Veteri lateri later contetitur.

Τρίπτωτα.

Tres quibus inflectis casus τρίπτωτα uocantur. Omnib. & mutilus numer⁹ prior, integer alter.

Huius precis, hanc precem, ab hac prece: pluraliter integrum est, preces, precum, precibus.

Huius opis, hanc opem, ab hac ope: pluraliter, opes, opum, opibus.

Hæc lues, hāc luem, ab hac lue. Plural. caret.

Hæc uis, huius uis. Tacit. Vt plus uis habeat

quã ſanguinis. Integre inflectitur, niſi deſit forte datiuus.

Frugis & ditionis, rectis tantum carent.

Dapis, dapi, dapẽ, dape. Pluraliter integrum. Daps apud M. Catonem in re ruſt. & apud Liuium Andronicum in 1. Odyſs. Quæ hæc daps eſt, quis feſtus dies?

Necis, neci, necem, nece: Nex non ſemel apud Ciceronem & Quintilianum alioſq; legitur.

Vocatiuo carentia.

Nomina relatiua, interrogatiua, partitiua, negatiua, diſtributiua, particularia, & infinita, uocatiuis carere Grãmatici coniuratim præcipiũt, ut qui, quę, quod: quis, ecquis: uter, alter: nemo, nullus: oĩs, aliquis, quidã: quilibet, quiſqs, &c.

Itẽ tota pronominũ turba uocatiuos deſyderat, pręter quatuor, tu meus, noſter, & noſtras.

Quędam ex his uocandi caſum admittere uidentur.

Ouid. Ipſaq; tu tellus, ipſum cum fluctib. çquor

Ipſe meas æther accipe ſumme preces. Verg.

Exoriare aliquis noſtris ex oſsibus ultor.

Cicero, O nox illa, quę tenebras attuliſti. Tibu.

Idem ſi fas eſt, mox precor ille redi.

Valla etiam docet pronomen ſuus uocandi caſum admittere, ut Cæſarẽ defendite ô ciues ſui. Socratem tuemini ô ſui ciues. Vide Linacrum lib. 1. de pronomine.

Vocatiuum deſyderant omnia nomina inſtar pronominum declinata, pręter unus, ſolus, & totus.

& totus. Vide secundam declinationem.

Hæc nomina os oris, æs, far, ius, thus, rus, forum, mel, far, mulsum, defrutum, uinum, ordeũ. Item nomina quinti flexus, paucis exceptis, genitiuum, datiuum & auferendi casum plurales rarenter aut ferè nunquam admittunt. In tertia quoq; declinatione, teste Glareano, plęraq; Gręca in eisdem deficiunt casibus, ut hyems. Verg. & Cicero nõ raro oribus habent. Plinius item orium uicia scripsit. Cato ærum & æribus usurpat. Plinius in epistolis ruribus utitur. Plautus omnium legum ac iurium uictor. Hermolaus Barb. lib. Corol. 2. ca. 228. de Rubetis: Cum adhuc pusillæ sunt, mutili ruribus uocantur. *Mulsum Glareo.*

Defectiua plurali numero natura.

Propria cuiuscunq; rei nomina ex natura sua plurali carere debent. Euentus tamen & regionum partitio: usus deniq;, quem penes arbitriũ est, & *ius & norma loquendi*, non raro diuersum docent. Hinc legimus duos Aiaces, tres Ioues, quatuor Veneres: duas Hispanias & Germanias, Fabios, Decios, Fortesq; Camillos. Est quando diuersæ opiniones his pluralem concedunt, ut quidam plures soles ac lunas putauerunt, quæ & appellatiua censentur. Aliquando contemptus causa, ut Persius sat. 1. phillidas hypsipylas.

Defectiua numero, usu & authoritate.

Sunt quæ uel usu uel authoritate deficiente

alterum è numero reijciunt, ut sanguis, manes.

Numero plurali carentia.

De legumi num nomi nibus Co lum. lib. 2. cap. 7.

Nomina metallorum, frumentorum, legu minum, & herbarum terræ: Nomina item hu midorum, quæ mensuræ ac libræ adhibentur, raro pluralem numerum admittunt, ut aurum, argentum, stannum, electrum, orichalcũ, plum bum: triticum, siligo, milium, auena, panicum, canãbis, cicer, linum, uitia, eruum: lac, oleum, bu tyrum, mulsa, nectar, acetum, cereuisia, pix, cro cum, piper: cinnamomum, seuum, sapo, mi nium, cera, ptisana, &c.

Butyrum pen. indiffe rens.

Iacobus Ludouicus de elec. uerb. lib. 1. Rarus est usus istorũ, non tũ om nino nullus. Idq; de om nibus defe ctiuis intel lexit.

Multa tamen ex his pluralem numerũ haud respuunt: hinc legimus electra, orichalca: or dea, fabas, pisa, lupinos, auenas: musta, lilia, ro sas, rutas, crocos, genistas, balsama, opobalsa ma, &c. Proinde hæc ex doctorum lectione cer tius quàm è Grammaticorum præceptis haberi possunt. Id quod Prisc. lib. 7. de datiuo & abla tiuo plurali secundi declinatus haud obscure cõ firmat. Oportet, inquit, scire quidem analogiæ rationem, usum tamen authorũ magis æmulari.

Masculina singularia.

Mascula sunt, numerum uix excedentia pri mum, hęc, aër, æther, carcer, cœstus, pro cingulo Veneris, fumus, hesperus, limus, mũdus, nemo, pontus, penus, sanguis, uesper. Addunt alij, sol, sal, genius, geminus, puluis, uncus, ros, Halo, Herebus, obscur⁹ inferorũ loc⁹ aut īferni fluui⁹.

Ex

Ex his sunt qui in plurali casus nonnullos admittunt. Lucretius aëribus dixit. Martialis fumos uendere. Ouid. lib. Meta. 15. fab. 25.

Luteáue exiguis ardescunt sulphura fumis.

Idem, Amaris fumis.

Plinius lib. 2. cap. 1. ait, quosdam innumerabiles tradidisse mundos. Poëtæ soles & solibus utuntur. Quintilianus. Vitandos soles. Plinius, Terra siccata solibus. Colum. lib. 7. cap. 4. Cœlestis aqua sub dio salibus in hunc usum durata. Idem in eodem, cap. 8. Aspergitur tritis salibus. Idem sales quoq;. Ver. rores. Plin. lib. 2. ca. 206. Rores neq; gelu, neq; ardoribus, neq; uentis, nec nisi serena nocte. Idem lib. 18. cap. 29. Quoniam neq; in flatu, neq; in nube cadunt rores. Columella lib. 4. cap. 20. Quo minus roribus queant putrescere. Et cap. 22. Mox deinde roribus putrescit. Seneca plenos carceres scripsit. Firmicus carcerum squaloribus. Horatius in epodis ode 17. Nouendiales dissipare pluuias. Cicero in natura deorum utitur plurali à genitiuo. Prudentius uncis. Lucanus uncos.

Pers. Sat. 5. Tecũ enim longos memini consumere soles.

Fœminina singularia.

Singula fœminei generis, pluralia raro, hæc, arena, aluus, amentia: bilis: contagio, culpa, cholera, crux: dementia: eloquentia: fama, fames, fides, fuga: gaza, gloria: humus: insania, indoles, iuuentus, iuuẽta: labes, lues, lux: mors, memoria: proles, pax, paupertas, philosophia, pernicies, pix, plebs, pubes, pituita: quies: salus,

senectus, senecta, soboles, sitis: tellus, tussis, talio: uita. Item nomina uirtutum, ut fortitudo, fides, liberalitas, prudentia, & cætera. Nomina uitiorum, ut auaritia, ambitio, stultitia, gastrimargia, acedia, pigritia, tædium, &c.

Sunt quædam ex his, quæ aliquot casus plurales è bello Grammatico asseruerunt. Lucanus arenas & arenis. Gellius arenarum. Cruces & crucibus passim legitur. Plautus maledicas famas dixit. Lucan. Aeoas gazas. Seneca gazis. Gellius & alij glorias & gloriarum. Politianus epistola uigesima libro primo, Cuius tota uita gloriarum plena est. Labes tres in plurali casus admittit. Ouidius,

Per q; nouem luces. Lucretius,

Almis nocturnas exæquant lucibus umbras.

Cicero & alij mortes. Seneca mortium signa. Columella libro nono, capite undecimo. Pœnis ac mortibus afficiuntur. Martianus Capella prolum & prolibus.

Sallustius & Horatius,

Hoc paces habuere bonæ, uentiq; secundi.

Plautus pacibus. Politianus libro nono, epistola prima, Iam bella & paces mandare uicturis utriusq; linguæ monumentis didicimus. Plinius libro uigesimo, capite decimoquarto, Menta pituitas corruptas purgat in mulso & aqua. Et paulò infra, Nepeta discutit pituitas & inflationes. Columella libro nono, capite undecimo, Duas, inquit, uel tres alueorum plebes in unum

Eraf. lib. Apoph. 1. apoph. 27. Negligebat huiusmodi adulationes uerius quàm glorias.

Idem li. 2. epist. 25. Ipse talium gloriarum fatur.

unum contribuere licebit. Angelus Politianus epistola 15. libro 6. Innumeris te uicissim salutibus obruunt. Columella lib. 10. de cultu hortorum, Et generet uarias soboles. Et lib. 9. cap. 14. Ne nouæ soboles diffugiant. Idē lib. 5. ca. 5. Itaq; nemo iā serit ex samera, sed ex sobolibus. Cicero, Serpit per omnium uitas amicitia. Ita Vergilius & Terentius. Martialis Sobrias nequitias scripsit.

Neutra singularia.

Nec licet his neutris, numerum deferre secundum. Album pro tabula, barathrum, baculum, chaos, cœnum, cordum, æuum, fas, fel, fœnum, fascinū, gelu, garum, gluten, halec pro garo: pro pisce haleces. Iubar, iustitium, ir, iecur, letum, lutum, lac, macellum, nil, nihilum, nefas, pedum, pus, penum, penu, penus, pelagus quasi te lagus τῶν τῆς γῆς, ἢ τὸ μὴ πίλας γῆς, pascha, salum, seniū, solum, solium, spicum. *Spicus masculini, spica fœminini, spicum neutri generis autore Ser. in. 1.* Geor. Cicero *in Arato*, *Spicum illustre ferens*, illustri corpore uirgo: sinum, uirus, uitrum, uiscum quod & uiscus, uer, uulgus, ueruactum. Ouidius & Plinius æuis. Apulcius, Fœna rodebamus. Vergilius, Saturare sola. Spicum pluraliter spica, authore Roberstono. Seruio singulare tantum in 1. Georg. Cæsar luta scripsit. Ennius macella. Cicero, Saturnum maxime colunt uulgi. Idē pelagis usus est in libro de finib.

Masculina pluralia.

Masculina sunt tantum numero contenta secundo. Hæc, Antes, artus, Amores, Annales: cani, cancelli, carceres, cœlites, codicilli, cassis: fasti, fori, furfures, fasces: genuini, gemini: inferi, infimates: Iunices cõmunis generis. Vide Persium Sat 2. liberi, lemures, loculi, lares, loci: Manes, maiores, menses, minores, magnates: natales pro generis splendore, nepotes: optimates: proceres, posteri, primõres, penates, pugillares & hæc pugillaria, pisces: Quirites: sales, superi, summates, sentes: uepres. Et urbium nomina in i pluralia, ut Gabij, Locri, Veij, Philippi, Puteoli, &c.

Fasti, libri facta totius anni continentes.

Loci et loca pro uilla seu matrice Colu. li. 8. ca. 21. de Gallinis Sæpius inquit digitis loca fœminarum tentanda sunt.

Prædictis quibusdã nõ desunt obliqui singulariter. Gelliꝰ aliquoties Annalẽ dixit. Lucanꝰ, Tunc omnis palpitat artus.

Cicero, A calce ad carcerem. Verg. Ouidius, et Lucanus carcer, Ouid. Meta 10. fab. 11.

Cum carcere pronus uterq; Emicat.

Seneca Trag. Aper cum casse uinctus. Ouidius non semel cœlite habet in ablatiuo. Gellius, In summo puppis foro. Serenus,

Additur excussus muca similagine furfur.

Liuius Andronicus, Inferus an superus tibi fert deus funera Vlysses. Apuleius lemurem & manem habet. Ausonius pugilar habet singul. Silius primori marte. Gellius primori pueritia. Iuuenalis Agnosco procerem. Reliqui casus in singulari desiderantur. Hora. & Lucanus Quiritis,

ritis, Ouid. Quiriti. Iuuē. & Perſius Quiritem. Cicero, ut etiam alij, crebro utitur in hoc ſenſu ſal ſalis & ſale. Ad Quintum fratrem lib. 1. ep. 2. Dicendi ſal faceciæq;. Idem Pub. Scipioni, Omnes ſale & facecijs ſuperabat. Colum. ueprem, Ouid. uepre.

Obſeruabis quędam in es pluralia iam enumerata cōmunis eſſe generis. Hinc Gellius primori pueritia dixit, Plautus Summates matronas, Politianus matronæ optimates. Cælius ad Ciceronem, Dum te pudet parum optimatem eſſe, Actūs ſing. Cic. primoribus labris, in neutro genere. Tacitus primoribus fœminis, &c.

Fœminina pluralia.

Hæc ſunt fœminei generis, numeriq; ſecundi. Antiæ, argutiç, ædes, antç, ambages, alpes: bigç, blanditiæ: cunç, copiç pro exercitu, ceremoniç. cautes & cotes, clitellæ, Kalendç, compedes: cupediæ & cupedia, orum: diræ, diuiciæ, decimæ: exuuiæ, exequiæ, excubiæ: feriæ, faceciæ, fores, fauces pro anguſta uia inter montes: grates, gingiuæ, graciæ, genæ: idus, inducię, inſidiæ, inferiæ, illecebræ, induuiæ, inimicitiæ: lactes, literæ, latebræ, Latinæ: manubiæ, minuciæ, minæ, nuptiæ, nęniæ, nares, nugæ, nonæ, nundinæ: offutiæ, opes: phaleræ, primitiæ, plagæ pro reti, pelles pro tentorijs, partes pro officio, præſtigiæ, paleæ, quiſquiliæ, quadrigæ, reliquiæ, ſordes, ſcalæ, ſcopæ, ſortes, ſalebræ, ſecundæ, tricæ, thermæ, trigæ, tenebrç. Item propria urbium et op-

Feſtum Iouis à Latinis ordinatum.

pidorum nomina in e pluralia, ut Baiæ, Cunæ, Mycēnæ, Athēnæ, Thebæ, Syracūſæ, Fidēnę, Venetiæ &c. Quædam ex prædictis nonnullos in ſingulari caſus admittunt. Plautus utitur ædes ſingulariter. Plinius multiformi ambage. Lucanus et Claudius Alpes utūtur ſingulariter. Apuleius argutia. Gellius argutiola. Idē lib. 19. ca. 8. bigas, trigas, quadrigas ſingul. declinat. Plin. li. 7. ca. 21. ſcribit à Myrmecide quodā, quadrigā fabricatam, quam muſca integeret alis. Blanditia Cicero & alij. Verg. & Pomp. magnus, copiam pro exercitu. Suetonius, Tacitus, Gellius ceremonia. Cæſar lib. de bello Gallico 7. grauiſsima ceremonia ſcripſit. Cicer. li. de Inuent. 2. ceremoniam, Iuuenal. & Horatius compedes ſingulariter habent. Ambroſius excubiam uſurpat. Gellius, facetia ſermonis. Plautus foris noſtra. Ouid. geminæ foris. Val. Max. forem apertā. Ouid. li. Faſtor. 2. cuſtos in fŏre nullus erat. Terent. Adelph. ſcen. 3. act. 2. *Sed quid nam foris crepuit. Iuuenalis gingiuā poſuit, Apuleius gingiuulam. Horat. Gratia cū nymphis. Ouid. Meta. 6. fab. 6. Non illi gratia lecto.* Cicero, Liuius, Plautus, Gellius illicebrā. Cicero & Gellius latebram. Seneca minuciam, Apuleius minuciem. Fab. Sueton. nęniam Horat. lib. car. 2. ode. 1. *Cæ retractes munera næniæ.* Idem lib. car. 3. od. 28. Dicetur merita nox quoq; nænia. Idem lib. 1. ep. 1. Roſcia dic Sodes, melior lex, an puerorum nænia? Plautus offutiam. Fab.

Venetia ſingulariter pro urbe uſurpat D. Braſ. lib. 3. Ep. 21. & 22.

Præ-

Præstigia singul. Politianus lib. 3. ep. 1. præstigia quadam dixit. Est & hoc præstigium. Næuius Quisquiliam. Apuleius conuerritorem pridianæ reliquiæ habet. Plautus & Apuleius sordis habent. Tacit. sordē. Ouid. Sortemq; dedit. Val. Max. Plinius, & Apuleius Salebram. Cicero lib. off. 3. Tabulam tanquam plagam ponas.

Neutra Pluralia.

Rarius hæc primo plurali neutra leguntur, Arma, ancilia, aulæa, bellaria, castra, ceraunia, crepundia, cunabula, compita, cythēra, comitia, exta, effata, equiria, hyberna, Ilia, iusta, iuga, lustra ferarum, liba, mœnia, munia, mappalia, magalia, mellaria, præcordia, pugillaria, penetralia, palearia, rostra, repotia, sponsalia, spolia, stativa, scenopegia, tēpe, tesqua, uinacea. Valla uuacea legit lib. 1. cap. 11. si codex mendo uacat. Item nomina festa deorum, Agonalia, Bacchanalia, Dionysia, Fornacalia. Quinquatria, Saturnalia. Vinalia, Viridaria, quæ in orum genitiuum mittunt. Sequentia hæc in ium, floralia, liberalia, lucaria, feralia. Hæc in orum & ium, parentalia, ancilia, uectigalia. Vide Macrob. lib. fatur. primo, capite quarto. Huc adiiciunt librorum titulos, Bucolica, Georgica, Polytica, Physica, Mathematica, &c. quæ tñ apud Græcos adiectiua sunt & singulariter inflectuntur. Apuleius, Aulæum tragicum. Iuuenalis & Ouid. Ancile, Plautus Bachanal. Cicero, Suetō.

Equiria, iudi à Rom. Marti consecrati. ab equorū cursu, quod eo die in campo Martio currant.

Dies festus quo Ioui uinum nouū libabant.

Apud Latinos quoq; singulariter & subaud. τέχνη id est ars, & hoc in artiū ac disciplinarum uocabulis.

Tacitus & Gellius comitium. Plinius Ile habet. Iuga montis Verg. & Tacitus singul. utuntur. Valerius Flaccus magale dixit. Seneca Trag. palear. Ausonius pugilar. Silius penetrale parentum. Macrob. lib. 7. cap. 1. Penetral. Ouid. & Cato libum. Iuuenalis, Actoris arunci spolium. Ita Tacitus & Ouid. Ceraunia, quod tamen adiectiue legitur.

REDVNDANTIA.

Nomina sex modis redundant. Primo genere tantum, & de his 12. regula generalis de genere nominum. Secundo genere & uoce. Tertio declinatione tantum. Quarto genere, uoce & declinatione simul. Quinto recto luxuriant. Sexto in obliquis.

Redundantia genere & uoce.

Torques et torquis cõmune duũ. Hic œstrus hoc œstrũ. Hæc hyssopus hoc hyssopũ, græce ὕσσωπος. Hęc sinapis hoc sinapi & sinape. Plautus in Curculione act. 1. scen. 2 Nasum ędepol sagax habet sculicet. Anus merobiba.

Sunt quæ diuersa genera & recti terminationes usurpant, ut hic tonitrus hoc tonitru. Hic artus hoc artu. Sic clypeus, um, baculus, um, atq; bacillum. Ouid. Meta. 16. fab. 50. baculumq; tenens agreste sinistra. Vide Vallam lib. 1. cap. 5. Hic tignus hoc tignum, hic punctus hoc punctum, hoc sināpi hæc sināpis, hic uiscus hoc uiscum, hic pileus hoc pileũ, hic barbitus hæc barbitus hoc barbiton, hic helleborus hoc hellebo rum, hic nasus, hoc nasum dixit Plautus. Sed quid moror istis? Millia doctorum tibi lectio talia præbet.

Redundantia declinatione tantum.

Sunt

Sunt quæ duas declinationum classes ingrediuntur. Hęc primę & tertiæ declinationis sunt, casis casida, senecta senectus, iuuenta iuuentus. Primæ & quintæ, sunt nonnulla quæ in prima in ia exeunt, in quinta per ies inflectuntur: uide quintam declinationem. Hæc tertiæ & secundæ, ut delphin delphinus, elephas elephantus, uiolens uiolentus, Titan Titanus, Plautus abax abacus, pauo pauus, capo capus, scorpio scorpius. Hæc simul & quarti flexus sunt atq; secundi. Laurus, quercus, pinus, pro fructu & arbore ficus, colus, penus, cornus pro arbore, cupressus, Ouid. Meta. 3. Acuta densa cupressu. Lacus & domus, quamuis non in omnibus casibus utrinq; inflectatur. Quintæ & tertiæ declinationis requies & fames.

Cochyle. 3. Cochilũ 2

Redundantia genere, uoce & declinatione simul.

Sunt quorum genus, terminatio, & declinatus uariat, hic sensus, hoc sensum, hic tapes ētis, hoc tapete & tapetum, hic sinus, hoc sinum uas lactis, hæc menda hoc mendũ, hæc cornus pro arbore, hoc cornum uel hæc cornus pro ligno & fructu. Verg. Volat Itala cornus, hoc est telũ uel iaculum ex corno. Ouid. lib. de Arte amandi. 3. Cornaq; adhuc nostris nõ satis apta cibis. Idem Meta. 13. fab. 6. Mollia fraga leges, ipsa autumnalia corna. Hoc cornu Ouid. Metam. 8. dixit. Et æratas torsit graue cuspide cornu. Et hic

Autumnus hic 2. Autumnitas hæc 3. Ostreum hoc 2. ostrea hęc 2 Geor. 2. Et bona bello cornus. Rapa hęc 2 rapũ hoc 2. idq; frequẽtius. Hic spicus hæc spica, hoc spicũ,

cornus. Lucã. Cornus tibi cura siniſtri. Hic euẽtus, hoc euentum: hæc contagio, contages & hoc contagium: hic hilarus, hic & hæc hilaris.

Compoſita uariantia. Item adiectiua compoſita ab his nominibus, arma, iugum, neruus, ſomnus, cliuus, animus, limus, frenum, cera, bacillum, quę in us & is definũt, ut inermus, inermis: bijugus bijugis: eneruus, eneruis: inſomnis, inſomnus rarius, ſemiſomnus frequentius, ſemiſomnis rarius. Vide Vallã lib. 1. ca. 20. Procliuus, procliuis: unanimis, unanimus: ſublimus & ſublimis: effrenus, effrenis: ſyncerus uſitatius, ſynceris rarius: imbecillus, imbecillis. Addunt quidam incolumus, incolumis: ernormus, enormis.

Redundantia recto.

Adeps. Adipes. Vertitur hic rectus, ſenſus manet & genus unum. Hic gibbus & gibber, hic cucumis & cucumer, hic cinis & ciner, uomis & uomer: ſcobs & ſcobis: puluis & puluer, pubis & puber, honos & honor, labos & labor, arbos & arbor, odos & odor. Apes & apis, plebs & plebes, ſcrobs & ſcrobes, adeps & adipes, trabs & trabes, ſors & ſortis, artus & artu. Sanguis & ſanguẽ, pollis & pollẽ, hoc os, oſſum & oſſu, ſeps et ſepes. M. Varro lib. 1. cap. 14. Secunda ſepes eſt ex agreſti ligno, ſed non uiuit. Multa quoq; à Græcis ſumpta, ut Gongrus & gonger, Meleãgrus & meleager pen. lõ. Teucrus Teucer, &c. huius farinę in ρος apud Græcos deſinẽtia, prẽcedente conſona, quæ Latini in r uel in us uertũt, ut

ut ἀνανδρος & Euander & Euandrus, μένανδρος & Menander & Menandrus, &c.

Redundantia obliquis.

Sūt quæ per obliquos casus luxuriāt, ut sunt propria quædā à Græcis sumpta, ut Chremes, is & ētis, sic Laches, Gyges, Thales, Dares, is, æ uel ētis. Poles, is, et Politis: & id genus sexcenta.

Græcorum fœtura.

Iam tibi præterea quædam sunt Græca notanda, Quæ quarto casu fœtum perperere Latinum. Nomina Græca, quæ Latini in tertio flexu inflectunt ab accusatiuo in a formant fœminina primi ordinis, ut panther, hæc panthera: sic crater, cratera: æther, hæc æthera: stater, hæc stātēra: ὁ ἀκάνθος, hæc decempeda: lampas, hæc lampada: ἡ σάρξ, τὴν σάρκα: hæc sarca apud Plautum in Amph. hic lebes, hæc lebeta. Sunt prēterea quædam à Græco genitiuo in os nata, quæ nunc in tertia nunc in secunda declinatione inflectuntur, ut ὁ τιτᾶν τιτάνος, hic Titan, Titanis: Titanus, Titani: sic Arabs, Arabis: & Arabus, Arabi. Vide redundantia declinatione tantum.

ἄβαξ, abacos. Abax abaci. Limax. Limaca. ς

Adiectiua recto luxuriantia.

Hęc adiectiua geminam positionem habent, er & is, ut hic acer, hæc acris, hoc acre: uel hic & hæc acris, & hoc acre. Sic alacer, saluber, celer, campester, equester, pedester, uolucer, palustер, celeber, syluester, sequester. Quædam ex his er, quædam is frequentius usurpant.

Redigantur ad redundantia recto, &c.

DE NVMERALIVM FLEXV.

Vnus. Nominitiuo Vnus, una, unum: Genitiuo unius: Datiuo uni: Accusatiuo unum, unam, unum: Vocatiuo une, una, unum: Ablatiuo ab uno, una, uno, pluraliter caret, nisi iungatur uocibus singulari carentibus, ut uni cancelli, unæ nuptiæ, una sponsalia, una mœnia, una excidia pro unum excidium, apud Vergilium Aeneidos secundo.

Duo. Hi duo, hæ duæ, hæc duo, horum duorum, harum duarum, horum duorum, & duûm: his duobus, duabus, duobus: hos duos & antiquè duo, has duas, hæc duo. Vergil. Aeneid. ii.

Si duo præterea talèis Idea tulisset .i. Phrygia.

Terra uiros. Sic ambo inflectitur.

Tres. Hi & hæ tres, & hæc tria: horum harum horum trium: his ab his tribus: hos & has treis, & hæc tria.

Cætera ad cẽtum usq; ἀκλίτα sunt, ut quatuor, horum harum horum quatuor, his & ab his quatuor, hos has & hæc quatuor, &c.

Composita à centum in plurali per tria genera & tres terminationes declinantur, ut hi ducenti, hæ ducentæ, hæc ducenta: sic trecenti, æ, a: quadringenti, æ, a: quingenti, æ, a: & sic deinceps. Vide Vllam lib. 3. cap. 6.

Obseruabis n ante g centum, post g decẽtantum indicare, ut octingenti 800. octoginta 80.

Mille. Mille adiectiuè pluralis numeri est uoce ἄκλιτα

ρρ. Subſtantiue inflectitur. Vide ſextam regulam de genere generalem.

Quis uel qui, quæ uel qua, quod uel quid. Quis. Quis interrogatiue & infinite accipitur. Qui relatiuum eſt, Sunt autem nomina non pronomina, quia nullam in ſe certam perſonæ differentiam includunt, quod proprium pronominis eſt, ſed omnibus coniungi promiſcue poſſunt. Nec ſimilitudo declinationis omnimodo coniungit uel diſcernit orationis partes inter ſe, ſed uis ipſius ſignificationis. Vide Priſ. li. 2 & 13. Qui.

Quis à fronte admittit in compoſitione, ec, ne, alius, num, ſi: ut ecquis, nequis, aliquis, nunquis, ſiquis. Et qua uolunt, non quæ quoties reperitur utrunq;.

A tergo uero ſubijcit, nam, piam & putas, ut quiſnam, quiſpiam, & quiſputas. Componitur. etiam cum ſeipſo, ut quiſquis.

Qui ſubdit ſibi, dam, uis, cunq;, libet: ut, quidam, quiuis, quicunq;, quilibet. Nec qua uolũt, ſed quæ quoties reperitur utrunq;.

DE PRONOMINE.

PRONOMEN eſt pars orationis, caſibus inflexa ac loco nominis poſita ferè idem ſignificat, perſonasq; certas recipit. Propriũ huius partis eſt loco nominis poni, eiusq; fungi officio ac certas ſignificare perſonas.

Vbi nominis repetitio ingrata eſſet futura fieretq; oratio obſcura & amphibologa, neceſſario pronomine utimur, ut Thomas Linacer eſt

eruditus Grãmaticus, & idẽ egregius medicus.

Quindecim sunt pronomina apud Latinos, simplicia communiter usitata, & de quibus nulla est apud doctos controuersia: scilicet, ego, tu, sui: ille, ipse, iste, hic, is: meus, tuus, suus, noster, uester: nostras & uestras.

Pronomini accidunt septem, Species, Genus, Numer°, Figura, Persona, Casus & Declinatio.

Species pronominum biparuita est, Primitiua & Deriuatiua.

Pronomina primitiua sunt octo, ego, tu, sui, ille, ipse, iste, hic, is.

Deriuata septem, meus, tuus, suus, noster, uester, nostras & uestras. Hæc à tribus primis originem sumunt. Meus à genitiuo mei, noster & nostras à genitiuo nostri uel nostrum: tuus à genitiuo tui, uester & uestras à genitiuo uestri uel uestrum. Sui parit suus.

Primitiua diducuntur in Demonstratiua & Relatiua.

Demonstratiuum est, quod rem aut personam eandem uel numero uel specie demonstrat. Vel est, quo aliquid ueluti indicatum significat. Et sunt octo, Ego, tu, hic, iste, ille, ipse, is: ac unum in obliquis, sui.

Relatiuum est, quod ad prædictæ rei mẽtionẽ nos remittit. Vel est, quod aliquid quod in oratione præcesit, repetit. Et sunt sex: simplicia quinq;, ille, ipse, iste, hic is: & unum in composito, idem ab is & demum.

Prono-

Pronomen ipse, quod alioqui discretionem quandam ab alijs personis adnotat, trium personarum significationem repræsentat. Vndè & Græce ἐπιταγματικὸν, id est, additiuum siue appositiuum appellatur, quod tribus aptissimè personis coniungi possit. Donatus Subiectiuũ appellat, quod reliquis omnibus pronominibus subijci potest, superq; nominibus, tum propijs, tum appellatiuis. Vide Linac. li. 1. de pronom. Pris. lib. 12. & 17.

Idem pronomen compositum etiam omnibus personis iungi potest.

Sui demonstratiuum, à quibusdam reciprocum dicitur, quod transitum à tertia persona in ipsam rursus reflectit. Hac ratione tertiæ etiam personæ merito est, quod solius eius transitum remittit. Eadem ratione & obliquos duntaxat recipit, utiq; quod non nisi in transitu personæ legitur. Vide *prisc. lib. 8. in fronte, & lib. 13. Qui hoc relatiuum putant Linacro errare ducũtur. Cum sensum à priore, id quod relatiui est, non desyderet.*

Deriuatorum pronominum, alia Possessiua sunt, alia Gentilia siue Patria.

Possessiuum pronomen est quod aliquid ceu possidẽtis significat. Et sunt quinq;, meus, tuus, suus, noster & uester. In his omnib. duplex persona tũ possessoris, tũ possessionis significatur.

Pronomen Gentile siue patrium est, quod nationem uel patriam, interim etiam partes

ſectámue ſignificat, ut noſtras & ueſtras: quæ ideo inter pronomina ſunt poſita, quod certæ perſonæ differentiam ſecum adferunt.

Genera pronominum ſunt quinq;. Maſculinum, ut ille. Fœmininum, ut illa. Neutrum, ut illud. Commune duum, ut noſtras & ueſtras. Commune trium, ut ego, tu, ſui.

Numeri pronominum ſunt duo, Singularis & Pluralis. Addit Priſcianus Cõmunẽ, ut ſui.

Figuræ pronominum ſunt duæ. Simplex, ut ego, is. Compoſita, ut egomet, idem.

Pronomina quinquies componuntur.

1 Cum nomine, ut huiuſmodi, iſtiuſmodi, quę nomina fiunt.

2 Secundo inter ſe, ut iſthic, egoipſe, idẽtidem, meme, tete per figuram, ſeſe citra figuram.

3 Tertio cum aduerbijs, ut idem ab is & demum, eccum, ellum. Vide Vallam lib. 2. cap. 15.

4 Quarto cum præpoſitione Cum per anaſtrophen, ut mecum, tecum, ſecum, &c.

5 Quinto cum ſyllabicis adiectionibus, emphaſeos & maioris ſignificantiæ gratia, ut ſunt,

Cine. cine, met, te, ce, pte. Cum cine componuntur caſus in c definentes, ut hiccine, hæccine, hoccine.

Ce. Ce adijcitur obliquis pronominũ, hic, ille, iſte, in s definentibus euphoniæ cauſa, ut huiuſce, hiſce, hoſce, haſce: ſic illiuſce, iſtiuſce, nec ultra progreditur.

Met. Met ſubijcitur omnibus caſibus primę & ſecundæ perſonæ, exceptis noſtrum & ueſtrum,

strum, & omnibus obliquis à sui, ut egomet, tutemet, non tumet, suimet. Te adijcitur uocitu, ut tute, tete. Te.

Cum pte componuntur ablatiui quinq; pronominũ possessiuorum fœminini generis, mea, tua, sua, nostra, uestra, ut meapte, tuapte, suapte, &c. Leguntur & meopte, suopte, &c. sed rarius. Meatim, tuatim, suatim, aduerbia sunt. Pte.

Personæ pronominum tres sunt.

Prima est, quæ rem tantum, ut loquentem indicat, ut ego.

Secunda est, quæ rem significat ad quam sermo dirigitur, ut tu. Qua ratione fit, ut & omnis uocatiuus secundæ personæ sit, cum quicquid uocamus id omnino alloquimur, non tamen contra: & ad quæ sermo dirigi non potest, ea prorsus uocatiuis careant. Eiusmodi nomina sunt interrogatiua, relatiua, infinita, &c. De quibus *in Heteroclitis dictum est.* Vocatiuus.

Tertia persona *est*, quæ aliquid significat, ut de quo sermo habetur. *Sub hac comprehẽduntur* omnia nomina, *participia*, ac item pronomina, præter ego & tu & uocatiuos.

Casus pronominum sex sunt, quot & nominum, Nominatiuus, Datiuus, Accusatiuus, Vocatiuus (quo tamen carent omnia pronomina, præter quatuor, tu, meus, noster, nostras) & Abltus. Sui noiatiuo caret in utroq; numero.

Declinationes pronominum quatuor sunt.

Prima est, quæ genitiuum in i uel is finit, & sunt tria, ego, tu, sui.

Secunda est, quæ genitiuum singularem in ius mittit. In hac quinq; sunt pronomina, Ille, ipse, iste, hic, is.

Tertia est, quæ genitiuum singul. in i termi-nat. Huius quinq; sunt pronomina, meus, tuus, suus, noster & uester.

Quarta est, cuius genitinus singularis in is definit. Huius sunt duo, nostras & uestras.

DE VERBO.

VErbum est pars orationis, quæ modis & temporibus inflexa, esse aliquid, agere ue aut pati significat. Forma orationis ab Aristo-tele dicta, quod sine ea oratio perfici ac absolui non potest.

Quamuis autem omnis orationis partes ge-neraliter uerba dici possunt, utpote per quæ ser-mo nectitur, ut apud Horat. Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur. Illa tamen id nomi-nis sibi peculiariter uendicat, atque defendit, quod in ea uis loquendi sit uberior, ususq; eius quàm latissime pateat.

Nomen rerũ nomenclaturam continet. Ver-bum actionem & passionem, cum temporum, modorum & personarum discrimine.

Verbũ est duplex, Personale & Impersonale.

Personale est quod tribus seiunctis personis in utroq; numero coniugatur, ut amo.

Impersonale est, quod una uoce omnes utri-usq;

usq; numeri personas complectitur, ut oporter, docetur. Et est duplex.

Actiuæ uocis, quod finitur, & uertitur per es, ut oporter, es ist von nöten: uel es ist not.

Et passiuæ uocis, quod in tur desinit, & per man uel es wirt exponitur, ut docetur man lert.

Personale uerbum est triplex. Substantiuum, Vocatiuum & Adiectiuum.

Substantiuum est, quod essentiam sine actione & passione significat. Et sunt quatuor, sum, forem, fio & existo.

Vocatiuum est, per quod rei nomen maxime proprium, interim etiam commune declaratur. Et sunt quinq;, Nuncupor, appellor, dicor, uocor, & nominor.

Adiectiuum est, quod agere quippiam patiue, aut neutrum aut utrunq; significat. Cuiusmodi sunt omnium generum uerba.

Et est duplex,

Absolutum est, quod per se sensum absoluit, ut sto, ambulo.

Transitiuum est, quod *in aliquem casum* fertur, diuersum ab eo qui ipsum præcessit, ut lego, egeo, placeo, careo. Et hæc ultima diuisio constructioni subseruit.

Sunt & aliæ uerborũ diuisiones. In quarum prima, Significatio uerba in tria dispescit, scilicet in Actiua, Passiua, & Neutra.

In secunda, Terminatio uerba trifariam

maxime diuidit, in o, in r, & in m.

In tertia, *Significatio* pariter & Terminatio uerba in quinq; classes diducunt, quæ Genera uocantur: scilicet *Actiuum*, Passiuũ, Neutrum, Deponens, & Commune.

VERBO accidunt octo, Genus, Tẽpus, Modus, Species, Figura, Persona, Numerus & Coniugatio.

DE GENERE.

Quinq; sunt uerborum genera, *Actiuũ*, Passiuum, Neutrum, Deponens & Commune.

Actiuum est, quod o finitum, passiuum in or formare potest, ut doceo, uerbero.

Omnia in hoc genere uerba semper actum significant, præter metuo & timeo, quæ uoce quidem actiua passionem, uoce uero passiua actionem indicare uidentur. Præterea uerba ad sensum pertinentia, uocis quidem figuratione actiua sunt, significatu uero passiua, ut uideo, audio, tango, &c. *Nisi dicas & fortasse melius, hæc extrinsecus actionẽ, intrinsecus passionem, significare. Sed hæc aliorum iudicio* discutienda relinquo.

Passiuum est, quod or finitum, sed r adempto actiuam formam induit, ut doceor, uerberor.

Neutrum est, quod o uel m finitum, passiuam formam exprimere integre nequit, ut sto, curro, ambulo.

Et est triplex, nam aliud est substantiq, ut sum es est.

Aliud

Aliud absolutum siue absolutiuum. Græce αὐτοτελὲς: sic appellatum, quod per se sensum absoluat.

Et illud quoq; duplex est. Aliud quidem quo actio ipso uerbo completa significatur, ut ambulo, dormio, pluit.

Aliud uero quo passio in ipso uerbo completa indicatur, Græce ἰδιοπαθὲς, ut palleo, rubeo, nigresco. ἰδιοπαθὲς Suipassia.

Aliud deniq; est, quod in actionem rei inanimatæ & cognatæ significationis tranfit, ac tertiam personam passiuæ uocis usurpat, ut bibo uinum, uinum bibitur, uina bibuntur, curro stadium, stadiũ curritur, uiuo uitã grãmaticã, &c.

Sunt præterea uerba, quę in simplici quidem sunt generis neutri, in compositione uero actiua, ut eo, adeo: ita uenio aduenio, sedeo assideo.

Deponens est, quod or finitum, uel actiui uel neutri significationẽ obtinet. *Actiui*, ut loquor, tueor, sequor, *conspicor*, præstõlor. *Neutri*, philosophor, labor, lætor, glorior. Hæc quatuor authore Prisc. lib. 8. *passiuam* significationem habent, nascor, orior, patior, & mereor.

Commune est, quod or finitum actiuorũ passiuorumq; significationem complectitur, ut ueneror, moror.

Obseruabis quod tam actiua quàm passiua non semel absolute citra alicuius casus cohæren tiam proferri solent, ut bene sapio, & uideo & audio acute. Præterea, quæcunq; uerba ad quę-

Episcopus Christopolitanus in expositiõe Psalmi 107 super Verficulũ Confiteãtur domino misericordiæ eius, inquit, Deponentia omnia ĩtertijs personis agentis & patientis formam, ut cõmunia, habere.

ſtiones factas per ago uel facio redduntur, cuiuſcunq; aliâs ſint generis, abſolute prolata, ſola uerbi actione ſatisfactum quæſtioni uidetur: ut Quid agis uel facis? amo, ſcribo, loq̃r, diſco, &c.

DE TEMPORE.

Tempus eſt quod uerbo ob actionum uiciſſitudinem accommodatur. Actionis nomine hoc loco & paſsionem & neutram affectionem intelligi poſtulo. Sunt autem uerborum tempora quinq;, Præſens, præteritum imperfectum, perfectum, pluſquamperfectum, & futurum.

Præſens eſt, quo actio nunc geri ſignificatur, ut ſcribo Hoc & inſtans dicitur.

Imperfectum præteritum eſt, quo prius quidē aliquid agi ſignificatur, non tamen abſolutam perfectámue actionem eſſe. Vel eſt quo continuatio præteriti alicuius non perfectio ſignificatur. Verg. Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido Condebat: erat enim adhuc in opere.

Perfectum eſt, quod præteritam abſolutamq; ſignificat actionem. Hoc in paſsiuis, deponentibus & communibus duplex eſt, ob id duplici etiam circuitione explicatum. Alterū, quo proxime præteritum aliquid ſignificatur, ut pranſus ſum: Alterum, quo ulterius præteritum aliquid indicatur, ut pranſus fui. Non enim ſi modo pranſus ſis, pranſus fui commode dixeris.

Pluſquamperfectum eſt, quod actionem iam olim præteriſſe ſignificat.

Futurum eſt, quod rem in futurum gerendam ſignifi-

significat: ut, Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar. Aeneid. 1.

Hoc Promissiuum modum Marius Victorinus & alij uocant, quod aliquando non tam plane futurum aliquid denũciat, quàm aliquid promittit, seu uelle quid facere ostendit. Ouid. Ibimus ô nymphæ, monstrataq; saxa petemus.

Huius aliud genus facit Pomponius, quod exactum siue absolutum uocat. Teren. Dictum & factum, inuenerit aliquam causam, quamob rem eiiciat oppido: inuenerit er wirt erfunden haben. Videtur ex præterito futuroq; commistum, ut interpretatio indicat. Aristoteles Topic. 3. Qui aliquid omni inesse monstrauit, etiã alicui inesse monstrauerit, der wirt auch angezeigt haben.

DE MODO.

Modus est accidens uerbi, quo uoluntas uel affectio animi p uocẽ consignificata declaratur. Et sunt quinq;, ad summum sex, Indicatiuus, Imperatiuus, Optatiuus, Potentialis, Subiunctiuus & Infinitiuus.

Indicatiuus est, qui rem ut indicatã narratámue significat: ut, Nos patriam fugimus. Hic & per interrogationem & dubitationem sæpissime usurpatur. Pers. sat. 1. Quis leget hæc? Teren. Eunuch. scen. 6. actus 5. An in astu uenit? Nominatur etiam finiendi, fatendi, & pronunciatiuus modus: & omnia recipit tempora discretis etiam nocibus.

Imperatiuus est, qui rem ut imperatã iussámue demonstrat. Hunc aliquando Deprecatiuũ uocant. Ex personis huic prima non datur, quod nimirum, cum imperatio sine secunda consistere non possit, nemo sibi ut loquenti commode imperet. Tertia tamen datur, qua in absentem imperari aliquid significetur, nusquam tamen citra secundæ consortiũ, ad quam uidelicet imperatio fiat. Interdũ per tertiam permissio tantum significatur, unde permissiuus modus dicitur. Ex temporibus, præsens & præteritum recipit teste Linacro. Et præsens quidem duplici uoce & sua, præteritum uero una et cum subiunctiuis communi. Præsens, Verg. Georg. 1. Nudus ara. Idem Georg. 2. Primus humum fodito, primus deuecta cremato. Propertius, Aut si es dura, nega: sin es non dura, uenito. Præteritum. Cicero, Sed amabo te nihil incommodo ualetudinis tuæ feceris. Martialis, Dic quotus es, quanti cupias cœnare, nec ullum Addideris uerbum, cœna parata tibi est. Et passiua illa, Ianua sit aperta, Dictum sit, Determinatũ sit, Præceptum sit: quæ hanc uim habent, ut imperemus quo in futuro sint transacta. Et à nonnullis modus mandatiuus dicitur, teste Diomede.

Prisc. lib. 8. Huic imperatiuo subnectunt ὑποθετικόν, id est suppositiuũ uel inductiuum modum, quem Theodorus Gaza lib. Introductionis Grammaticæ 4. à plurimis αὐθυπόταχτον, id est sibiipsis suggestiuum, uocari scribit: et est cum nos unà cum aliis

ad

ad aliquid subeundum summittimus. Hic primam personam multitudinis duntaxat recipit. Hortatiuum à nonnullis dici hunc Diomedes asserit, dum enim quis imperat, se quoq; in idē ministerium uocat: ut, eamus & in media arma ruamus. Aeneid. 2.

Optandi modus est, quo rem ueluti optatam significamus: nec refert factáne sit an fiat, an sit facienda: incerta tamen esse ei qui optat, omnino uidetur. Linacer li. 1. asserit, Latinos ante Donatum, huic modo quinq; tempora & quidem discreta dedisse. Probat id quoq; idoneis ueterū exemplis. Præsens sine signo. Teren. Dij illum perdant, & dij te eradicent. Cum signo. Teren. Vtinam sic sint, qui mihi male uolunt. Imperfectum. Teren. Vtinam isthuc uerbum ex animo diceres. Perfectum. Teren. Vtinam hic surdus, aut hæc muta facta sit. Pluſquamperfectum. Ouidius, O utinam tum cum Lacedęmona classe petebat, Obrutus insanis esset adulter aquis. Verg. Fecissentq; utinam. Cætera in Linacro.

Eunuch. And. scen. 4. act. 4. Eunuch. act. 4. scē. 3. Eunuch. scē. 2. act. 1. And. In Hero. epistola 1. Aeneid 2.

Potentialis modus est, qui posse uel debere fieri aliquid aut uelle ostendit. Et differt ab Optatiuo, quod in hoc tantum significatur optatio, in illo uero indicatio est potentiæ debitiue: aliquando etiam uoluntatis indicium. Rursus hic per interrogationem sæpe usurpatur, ille per interrogationem accipi non potest. Exempla habes in Linacro. Optandi modus, Potentialis & *Subiunctiuus*, quinq; separata ijsdem uocibus

Potētialis.

tẽpora habere uidentur, excepto futuro optãdi.

Subiunctiuus est, qui alteri semper uerbo, & plerunq; coniunctioni, uel relatiuo qui, uel infinitæ particulæ subiunctus est, ac indicatiui significatum maxime repræsentat.

Infinitus modus est, qui agere aut pati significat, sed citra omnem certam numeri aut personæ differentiam. Qua scilicet ratione Infinitus est appellatus.

Ponitur hic modus nonnunquam uice nominis: unde & quidam Nomen uerbi appellant, ut bonum est legere, id est, bona est lectio.

DE SPECIE.

Species est, qua uerbi origo ostẽditur: Formi appellant. Et est duplex, Perfecta et Imperfecta.

Perfecta siue primitiua est, quæ primam positionem ab ipsa natura accipit, ut lego, ferueo, domo, facio, garrio, albo.

Imperfecta siue Deriuatiua est, quæ à positiuis siue primitiuis deducitur, ut lecturio, ferueſco, domito, facesſo, garrulo, albico.

Formæ imperfectæ species sunt, Inchoatiua, Frequentatiua, Mediatiua, Imitatiua, Diminutiua, Denominatiua.

Inchoatiuum uerbum est, quod in sco finitum uim incipiendi significat. Hæc uerba per incipio aut fio, itẽ per glisco & intẽdo exponi solẽt, ut calesco, id est calere incipio, siue calidus fio.

Vergilius Aeneidos primo, prope finem,

Expleri mentem nequit, ardeſcitq; tuendo.

Cum

Cum uero à nominibus fiunt, per nomen ferè uertuntur, ut cineresco, id est, uertor in cineres. Interim haud parum multa thematum loco ponuntur, ut tumesco pro tumeo, hisco, fathisco. Vnde defetiscor quod est defatigor. Item conticesco, adhæresco, delitesco, concupisco, labasco, obdormisco, contremisco, expauesco, & his similia. Vide Val. lib. 1. cap. 22.

Inchoatiua à nonnullis uerbis neutris innatam passionem (Græcè αὐτοπάθειαν) significantibus, deriuantur, ut à frigeo frigesco, caleo calesco. Interdum à uerbis absolutis, ut à uiuo reuiuisco. Legitur à misereor siue miseret, miseresco: sed magis à misereo est, teste Pris. li. 8. quo uetustissimi sunt usi, ex quo impersonale miseret & miseretur. Nã à Deponẽtali uerbo, nec inchoatiuũ, nec impersonale nasci potest, eodẽ authore.

Actiuæ nocis arbitror impersonale.

Hæc inchoatiua maiores suos in bello Grãmatico non sine sanguine amiserunt, ut consuesco, conquinisco, inualesco, inolesco, extimesco, expauesco.

Inchoatiua à secũda persona thematis formãtur, adiecta co syllaba, ut labo labas labasco, ferueo ferues feruesco. Hisco ꝓ hiasco ab hio hias.

Est quando hæc uerba à nominib. originem ducũt, ut ægresco, dulcesco, diescit, flãmesco, fermentesco, glabresco, lentesco, macresco, noctescit, puerasco, putresco, sanesco, sanasco, uilesco, & cætera id genus plura apud Plinium.

Verba inchoatiua ad tertiam uerborum cõ-

iugationem pertinent, & mutuantur à primitiuis uocem quidem præteritorum, significatum uero non, ut pinguit, pinguis factus est, non autem pinguis fuit: macruit, macer factus est, non autem macer fuit: frixit & caluit, id est frigidus & calidus factus, non autem calidus & frigidus fuit. Porrò pingueo, id est, pinguis sum: pingui, id est pinguis fui. Vnde uel luce clarius est præterita inchoatiuorum in frequentiori usu esse, quàm primitiuorum, authore Valla 1. lib. ca. 22.

Hęc uerba supina rarenter admittunt, & à nominibus deducta præteritis ac supinis ferè carẽt.

De Frequentatiuo uerbo.

Verbum Frequentatiuum est, quod actũ perfecti cum aduerbio frequenter, id est sæpe, aut iterum atque iterum significat, ab alijs Iteratiuum dictum.

Hæc uerba in so, to, xo, & tor desinũt, ut curso, tento, uexo, sector. Et uel assiduitatem uel conatum significant, ut uiso eo ad uidendum, capesso eo ad capiendum. Vexare huc & illuc, sursum deorsúmue distrahere & uehere. Vide Gell. lib. 2. cap. 6.

Hæc uerba formantur à posteriore supino plerunq;, ut cursu, u in o fit curso. In prima coniugatione uertitur a longũ in penultima supini in i breue, ut imperãtu imperito, cœnãtu cœnito. Præter nato.

Quæ à uerbis tertiæ coniugationis gi in præterito habentibus ueniunt, formãtur à secunda persona

persona thematis, s litera in to syllabam uersa, ut legis legito, cogis cogito.

Grammatici & hæc in hoc album inscribũt, uiso, capesso, arcesso, facesso, accerso, lacesso à uerbo prisco latio quod significat traho, siue à lacero, ut Vallæ placet libro 1. cap. 23.

Sunt & hæc frequentatiua, uellico, sodico, nutrico & nutricor, & similia.

Albico tamen, candico & huiusmodi Apparitiua appellant, quod uidelicet apparentiam sui primitiui significent, ut albico, id est, appareo albus.

Frequentatiua pleraq; primam coniugationem imitantur. Quædam etiam tertiam, ut facesso, lacesso.

Sunt & in uoce passiua, ut sector, scitor, sciscitor.

Sunt etiam quę à perfectis non rite formantur, ut quærito à quæro, quæsito à quæso, hæsito ab hæreo, taxo à tango, uexo à ueho.

Sunt item quæ à frequentatiuis nascuntur uerbis, ut à dicto dictito, à curso cursito, à iacto iactito, &.

Sunt denique, quæ ab alijs frequentatiuis in bello grammatico interfectis, originem sumere uidentur, ut uentito, prãsito, factito, actito, esito, lusito, uictito, missito, &c.

Verbum Meditatiuum.

Verbum Meditatiuum est, quod primigenij sui significationem cum studio & uoluntate si-

gnificat. Val. lib. 1. cap. 24. mauult hæc uerba Desiderativa appellare. Hæc per cupio, opto, paro, siue laboro, exponuntur, ut lecturio legere cupio, siue paro me ad legendum.

In rio exeunt, & ferè à posteriore supino formantur adiecta rio, ut, esu esurio, mictu micturio, lectu lecturio. Non tamen omnia hanc formandi rationem assumunt, ut à scateo, quod supino caret, uenit scaturio. Syllaturio, id est, Syllæ mores imitari cupio siue uolo.

Sunt hæc omnia quarti coniugatus, ac præterita rarenter admittunt: præter parturio parturiui & parturij, esurio esuriui.

Verbum Imitatiuum.

Est quod primitiui sui significatū, cum quadam imitatione designat, ut patrisso, Atticisso, Græcisso, quæ Græcis in ſω desinunt.

Latini terminatione or magis delectantur, ut Græcor, cornīcor penult. lon. uulpinor, bacchor, poētor, &c.

Hæc à nominibus uenire scribit Diomedes libro 1. Suntq; primæ coniugationis.

Verbum Diminutiuum.

Est quod primigenij sui significatū cum diminutione significat, ut sorbillo, id est, modice uel parum sorbeo: pitisso, hoc est, minutum bibo, et parce unum gusto, garrulo à garrio, à calluo cauillo, sugillo à suggero, scintillo à scintilla. Vacillo & pitisso Diomedi origine carent.

Cantillo. A caluo Prisc. cauillo. dicimus calueo caluo & caluor pro frustror. Sugillo alij à sugo.

Hæc

Hæc in lo exeunt, & sunt primi coniugatus. Græci hac forma carent, teste Prisc. lib. 8.

Sunt præterea uerba quædam à nominibus deducta, quæ quod peculiarem nomenclaturam non habent, generali appellatione

Denominatiua uocantur, ut ab auro aurare, à frutice fruticor, à frumento frumentor, à pabulo pabulor, à ligno lignor, & similia uerba in cstris nata: item rusticor, ruror, muneror, &c. pernocto, architector, &c.

Sunt & aduerbialia & à præpositionibus paragōga, id est, deriuata uerba, ut perendino, id est, in diem tertium differo, à perendie. A cras uel crastino aduerbijs, siue potius à nomine crastinus, crastino, procrastino, recrastino. Ab intro, uel intra, intrare: à super uel supra, supero.

Aduertas hic animum, omnia paragōga, hoc est deriuata uerba, cuiuscunq; formę fuerint, pro perfectis uerbis, à quibus nascuntur, accipi posse. Nec temere liceat noua parĕre: nam usu ualent uocabula sicut nummi. Sed hac de re in cōsilium adhibe Fabium libro 8. cap. 6. & D. Erasmum libro de Copia uerb. cap. 20.

DE FIGVRA.

Figura authore Diomede, est discrimen simplicium dictionum & compositarum.

Figuræ uerborum tres sunt, Simplex, Composita, & Decomposita.

Simplex est, quando uerbū in partes intelligi-

biles ac prioris sensus capaces diuidi nequit, ut facio, rego.

Composita est, quando uerbum cum alia orationis parte, uel cum seipso ferruminatur, ut terrefacio, surgo, calefacio.

Decomposita, quando uerbum compositum ulteriorem compositionem admittit, ut perterrefacio, insurgo, resurgo, &c.

Compositio uerborum interdum genus cõmutat, ut eo neutrum, adeo actiuum. Interdum coniugationem, ut cubo primæ, discumbo tertiæ: pario tertiæ, reperio quartæ. Non raro etiã significationẽ uariat, & hoc quadrifariam. Aut enim auget, ut deãmo, demiror: aut complet, ut facio perficio, perpetior perfero: aut minuit, ut rideo, subrideo, &c. aut in totum cõmutat, & uel in cõtrariũ, ut figo refigo, signo resigno: uel in diuersum, ut mico dimico. De his omnib. uide Vall. lib. 5. cap. 43. 44. 45. 49. 55. 63. &c.

Verba componuntur quatuor modis.

Primo ex duobus integris, ut demiror.

Secundo ex duobus corruptis, ut afficio ex ad & facio, cogo à con & ãgo, succusso à sub & quasso. Hinc succussor equus ein hert trabend rosz, cui opponitur gradarius, id est, equus tolutarius ein zelter: porrigo à porro & rego.

Tertio ex integro & corrupto, ut diligo, concutio à con & quatio.

Quarto ex corrupto & integro, ut portẽdo à porro & tẽdo, alligo, colligo, ab ad, con, & ligo.

Verba

Verba componuntur cũ quatuor orationis partibus. Cum nomine, ut crucifigo: cũ seipso, ut frigefacio calefacio: cum aduerbijs, ut benedico: cum præpositione, ut supersedeo, &c.

Sunt uerba, quorum parentes in bello Grãmatico desiderati ad Cereris generum descenderũt, ut defendo, offendo, aspicio, cõspicio, &c. cõposita à specio, experior, expedio, impedio, deleo à leo quod est lino. Compellare & appellare, incendo, accendo, imbuo, ingruo, congruo, infligo, instigo, & id genus alia.

Videntur & à Græcis quædam nata, ut suffrãgor, à φράζομαι delibero, & impleo à πλῶ, percello à κίνω moueo impello: frigeo à φρύττω horreo.

Composita simplicium coniugationem imitantur, paucis exceptis, quæ castra transferunt, ut à do composita, addo, condo, dedo, reddo: præter uenundo, pessundo, circũdo, & satisdo: à spernere aspernari, à sternere costernare, à suspicio suspicari, à facio gratificari.

PERSONA.

Personæ uerborum tres sunt. Prima quæ de loquente dicitur, ut lego. Secũda quæ ei, ad quẽ fit sermo, accommodatur, ut legis. Tertia quæ ei, quo de loquens agit, conuenit, ut legit. Hæc, quia nullam certam personam finit, ab Apollonio Infinita dicitur. Porrò uerba infinitiui modi & impersonalia cuius personæ sint, ex casuum appositione facile est cernere.

NVMERVS.

Numeri uerborum sunt duo. Singularis, qui de nominibus & pronominibus singularibus dicitur. Multitudinis, qui de nominibus & pronominibus pluralibus dicitur. Addunt alij Cõmunem, ut sunt uerba Infinitiui modi.

CONIVGATIO.

Coniugatio est cõsequens uerborum flectendorũ modus. *Sic dicta*, quod una eademq; ratione declinationis plurima cõiugantur uerba.

Coniugationes uerborum quatuor sunt.
Prima, Secunda, Tertia, & Quarta.

Prima, Secũda, Tertia, Quarta } habet { a longum, e longum, e breue, i protelatũ } ante re in infinit.

Formas cõiugandi uerba Donatus ad amussim docet, quas memoriter edidicisse oportet.

DE PRAETERITO PRImæ coniugationis.

Præteritum primæ coniugationis aui habet, ut amaui. *As in præsenti perfectũ* format in aui.

Excipiuntur sedecim, è quibus duodecim ui habent diuisis syllabis, ut cubo cubui, sic crepo, domo, frico, mico, nexo, neco, plico, seco, sono, tono, ueto: do dĕdi, penul. breui, & hęc quatuor eius composita, circundo, pessundo, satisdo, & uenũdo uenũdĕdi, sto stĕti, iuuo iuui, lauo laui.

A cubo cubaui in sacris legitur. Ezech. 19. secundum Hebręos, Quare mater tua lœna inter

leones

leones cubauit? Apuleius supercubasse habet. A domo Florus domauerunt. Neco necui & necaui in præterito facit.

Plico plicui & plicaui. Composita eius cum nomine aui habent, ut multiplicaui: sic duplico, triplico. Cum præpositione magis in uï diuisas syllabas exeunt, ut implicui. Quædam utranq; formam seruant, ut explico ãui, & uï, sic applico, replico, Supplico supplicaui tantum. Composita à Plico.

Composita à cubo absque m in paterna manent coniugatione, quod si m assumant, in tertiam demigrant. Omnia tamen in uï diuisas syllabas præteritum faciunt, ut accubare, accumbere, accubui: recubare, recumbere, recubui: incubare, incumbere, incumbui. Composita à Cubo.

A mico dimico dimicaui facit. Ouid. etiam dimicui. Emico tñ emicui. Lucan. in 1. Qualiter expressum uentis per nubila fulmen Emicuit.

A crepo, Cicero discrepaui, Plautus increpaui. Legitur & discrepui.

Composita à Sto stĭti habant penultima breui, ut asto, astiti, insto institi, resto restiti. Composita à Sto.

Quædam ex hac coniugatione uerba in tertiam migrant immutata significatione, ut lauo as & is. M. Cato de re rust. cap. 25 Si uoles lauito paululum. Idem cap. 65. Si inquinata erit, lauito. Verg. lib. Geor. 3. lauit pro lauat, Lauit improbate ter ora curor: nexo as, & is. Actius in Deiphobo, Nos continuo ferrũ eripimus, omnibus manicas neximus.

Hæc autem significationem simul & coniugationem uariant, ut mando as, mando is, fundo as & is, obsero as & is, appello as & is, uolo as & uolo uis, consternor āris & ĕris. Porrò dico as & is, lego as & is, temporis ratione discernuntur.

DE SVPINO.

Verba primi coniugatus ui syllabum in præterito habẽtia, mutant ui in tum in supino: flaui flatũ, iuui iũtum. Dat laui lotum: interdum lauatum atq; lauatum. Potaui potum, interdum facit potatum, dedi datum: sto statum, composita eius ātum habent a longa, uel itum penultima breui, ut consto constatum & constĭtum. Præsto ātum & ĭtum.

Verba primę coniugationis uĭ in præterito habentia formãt supina in ĭtum penultima breui, ut domui domitum, sonui sonitum, cubitũ, crepitum. Excipe secui sectum, fricui frictum, neco in simplici necatum. Cic. Veneno necatus. Fab. Fame necatus. Enĕco enectũ. Cicero Tusc. 2. Enectus siti Tantalus, Horat. Bos est enectus arando. Plico & eius composita ātum habent, ut plicatum, multiplicatum. In nonnullis uero compositis etiam plicitum, ut implicatum & implicitum. Mico supino caret. Ab emĭco & promĭco supina nondum legere contigit, sed dimico dimicatum habet.

Obseruatio.

Verbalia horum uerborum, quæ in hac coniuga-

iugatione ſupina in ĭtum ſiue ctum formant, in atio analogi κῶς exeunt, ut uetatio, à ſupino uetitum: hinc participium uetitus & uetatus apud Papiniũ. Sic præſtatio à præſto, cubatio à cubo, domatio à domo, domitor & domator apud Tibullum: ſonatio à ſono, & nomen ſonitus: tonatio à tono apud Senecam, tonitus nomen, et intonatus participium apud Hora. A frico fricatio, etiam frictio apud Celſum lib. 3. cap. 12. Adhibeaturq; frictio quantam is ſuſtinere poterit. Vide limam Mancinelli in Vallam. Frictus & fricatus apud Plin. & Celſum. A ſeco ſectio & ſecatio interdum, ſectus participium & præſecatus apud Apuleium. A crepo crepatio, à lauo lauatio, à poto potatio, à iuuo iuuatio. Participia porrò horum præteriti temporis in ĭtus exeunt: futuri uero in aturus, ut uetitus uetaturus: præſtitus, præſtaturus. Sic ſonaturus, iuuaturus apud Saluſtium. Ex Valla lib. 1. cap. 2. Titulo 6.

Præterita item in aui in quibuſdam perſonis aut ue ſyllaba eliſa, per ſyncopen enuntiantur, ut amaſti pro amauiſti, amaſſem pro pro amauiſſem: armaram pro amaueram, amarim pro amauerim, &c.

SECVNDA CONIVGATIO.

Omnia uerba quibus character eſt eo, ſecundæ ſunt coniugationis. Præter beo, creo, calceo, quod & calcio alij, enucleo, laqueo, meo, malleo, unde malleator & malleatus, nauſeo, addũt balneo, quæ ſunt primæ coniugationis. Item,

eo, queo, & ueneo, quæq; nascuntur ab illis, quæ sunt quartæ coniugationis.

DE PRAETERITO.

Regula generalis.

Omnia ferè uerba secundi coniugatus, quæcunq; consona eo præcesserit, præteritum in ui duas syllabas faciunt. Lilius Es in præsenti, perfectum format ui dans, ut habeo habui, sic debeo, præbeo, rubeo: doceo docui, sic noceo, taceo, misceo, arceo, iaceo, placeo: splendeo, splendui, sic candeo, madeo: egeo, egui, sic rigeo, uigeo: caleo calui, sic ualeo, doleo, calleo, polleo: timeo timui: teneo tenui, caneo canui: tepeo tepui, sic torpeo, stupeo, mereo, pareo, uireo, floreo, horreo, torreo: censeo censui: lateo latui, pateo patui, lacteo lactui, scateo scatui, &c.

Regulæ exceptionis.

BEO.

Iubeo iussi facit, simplex sine cõpositis. Sorbeo sorbui & sorpsi, ita composita. Absorbeo, Lucan. 4. Absorpsit penitus rupes & tecta ferarum. Exorbeo. Cicero Philipp. 2. Ciuilem sanguinem exorbuit. Idem pro Murena, Difficultatem exorbuit.

CEO.

Luceo luxi, ita eius composita alluceo, colluceo, diluceo, eluceo, illuceo, pelluceo & perluceo, polluceo, præluceo, reluceo, subluceo, trãsluceo. Mulceo mulsi, & ab eo composita demulceo, pmulceo. Salustius & Gellius pmulcti dixerũt, iuxta analogiã à præterito obsoleto mulxi.

DEO

DEO.

1 Verba in deo longa uocali antecedente uel ar, in præterito si habent, ut ardeo arsi, sic exardeo & inardeo: rideo risi, & ab eo composita arrideo, derideo, irrideo, subrideo: suadeo suasi, sic dissuadeo, persuadeo. Excipiuntur audeo ausus sum & ausi apud ueteres, gaudeo gauisus sum. Strideo stridi facit.

2 Verba habẽtia e uel i breue ante deo, ijsdem protelatis, præteritum in di formant, ut sedeo sedi, sic composita adsideo, consideo, circumsedeo, dissideo, desideo, obsideo, possideo, præsideo, residεo, subsideo, supersedeo.

Video cum prole sua uidi, circumuideo, euideo, inuideo, peruideo, præuideo, prouideo.

3 Quatuor uerba in deo geminato principio præteritum in di faciunt, ut mordeo momordi, pẽdeo pependi, spondeo spopondi, tondeo, totõdi. Olim memordi, spepõdi, & alia, imitatiõe Grçcorũ prçteritorũ à uerbis à cõsonãte exorsis

4 Cætera in deo uĩ habent per regulam generalem. Excipe prandeo pransus sum & prandi. Plaut. in Menæch. Prandi, potaui.

GEO.

Verba in geo, l uel r præcedente, prçterita in si formãt, ut algeo alsi, indulgeo indulsi, fulgeo fulsi: ita, affulgeo, confulgeo, effulgeo, præfulgeo, mulgeo mulsi, quidã mulxi: turgeo tursi, urgeo ursi. Liuius Andron. ursui usus est. Augeo, adaugeo, lugeo, elugeo, & sugeo in prçterito xi

habẽt. Frigeo frigui & frixi, ita refrigeo. Cætera generali regula cõprehẽduntur, ut uigeo, uigui.

LEO.

Verba in leo præteritum in ui syllabam faciunt, ut fleo, fleui, defleo defleui. Leo ἄχρηστον leui & compositum deleo. Pleo inusitatum, & ab eo nata cõpleo, expleo, impleo, adimpleo, repleo, suppleo. Oleo olui facit & oleui. Composita uariãt, aboleo aboleui, ita adoleo, exoleo, inoleo, obsoleo. Oboleo obolui. Plaut. Oboluisti alium. Redoleo redolui, suboleo subolui. In his sunt quæ utranq; præteriti terminationem assumunt, tu imitare probatos. Soleo solitus sum habet. Cætera regulæ generali subiacent, ut doleo dolui.

NEO.

Maneo mansi habet in præterito, & hæc ab eo composita, cõmaneo, emaneo, permaneo, remaneo. Hæc quatuor à maneo, emineo, immineo, præmineo, & promineo, a in i mutant & in ui præteritum formant. Omnia porrò composita à maneo secundæ & tertiæ personæ indicandi singularis numeri penultimam corripiunt. Neo in præterito facit neui. Cætera ad regulam generalem pertinent.

QVEO.

Liqueo in præterito licui formar, & liquĩ trisyllabon, ita colliqueo, deliqueo. Oui. Met. 4.

Protinus imbutum cœlesti nectare corpus
Delicuit, stagnumq; suo de nomine fecit.

Tor-

Torqueo cum prole sua format in præterito torsi, contorqueo, detorqueo, distorqueo, extorqueo, intorqueo, obtorqueo, retorqueo.

REO.

Careo carui & cassus sum habet. Mœreo cũ diphthongo, in præterito mœstus sum, quod tamen nomen potius est quàm participium. Hæreo cum familia compositorum hæsi format in præterito, adhæreo, cohæreo, inhæreo. Cætera ui habent iuxta regulam generalem.

VEO.

Verba in ueo habẽt in præterito ui, ut faueo faui, sic foueo, confoueo, refoueo: caueo, præcaueo; uoueo, deuoueo: moueo, amoueo, admoueo, commoueo, dimoueo, emoueo, promoueo, permoueo, semoueo, submoueo: paueo, expaueo: ferueo ferui: sed ferbeo ferbui facit, ita efferueo & deferueo. Niueo & compositum conniueo conniui & connixi.

Langueo, elangueo, relangueo: & pingueo siue potius pinguesco gui habent in præterito.

Vieo uieui format, & cieo ciui. Est & cio quartæ coniugationis.

Verba duplicis coniugationis.

Claudeo, caueo, conniueo, excelleo, fulgeo, frigeo, ferueo, strideo, sugeo, tergeo, ualeo, & alia quædam his similia, remota e litera in tertiam transeunt coniugationem.

SVPINA.

DI. SI.

Verba di & si in præterito habentia, supina in sum formant, ut rideo risi risum, sic uideo, mordeo, mulceo, suadeo, &c.

Sedeo sessum format, gaudeo gauisum, prandeo pransum, sorbeo sorptum, & eius composita, ut absorptum.

Luceo, strideo, turgeo, urgeo, supinis carent.

Priscianus à pendeo pensum facit, ab algeo alsum, ab indulgeo sum & tum, à mulgeo mulsum & mulctum, à torqueo & eius compositis torsum format: frequentius tamen, inquit, in tum exeunt.

XI.

Præterita in xi, supina in ctum faciunt, ut augeo, auxi auctum, frigeo frictum, lugeo luctũ, conniueo connixum.

VI *monosyllabum.*

1 Quæ ui habent in præteritis mutant ui in tum in supinis, ut foueo fotum, impleui impletum, neui netum, uoueo uotum. Excipiuntur, leo litum, oleo olitum, analogicôs oletum & olitum Priscianus facit.

2 Composita ab oleo uariant, adoleui adultum, obsoleui obsoletum, aboleui abolitum & aboletum, exoleui exoletum, inoleui inolitum. Caueo cautum facit, faueo fautum differentiæ causa. Paueo & ferueo supinis sunt spoliata.

3 Vico uicui uictum penul. breui, cieo, ciui cĭtum penul. cor. In quarta uerò penult. longa.

VI

VI *dißyllabon.*

Verba actiua uĭ in præterito formantia, in ſupinis ĭtum habent penul. cor. ut habeo uĭ ĭtum, præbeo præbitum. De compoſitis ab arceo infra de ſupino carentibus.

Excipiuntur teneo tentum, ſic contineo, detineo, diſtineo, obtineo, retineo. Doceo doctū, miſceo miſtum ſiue mixtum. Cenſeo cenſum, ſic recenſeo recenſum, accenſeo accenſum, percenſeo percenſum. Sunt porrò qui à recenſeo recenſitum formant penult. lon. (præter analogiæ rationem, quæ poſtulat penult. breuem, ut à monuĭ monitum.) Vnde recenſitus participium deducatur, quo crebro uſi ſunt authores. Claudian. Priſca recenſitis euoluite ſæcula faſtis. Ouid. Præſto recenſitis euoluere ſæcula faſtis. Prudent in Pſychomach. Stirpe recenſita ſacra de uirgine nata.

Verba neutra.

Verba neutra huius coniugationis plæraque ſupinis carent, ut albeo, candeo, denſeo, egeo, feteo, iaceo, liqueo, madeo, niteo, ſtupeo, timeo, uireo, & id genus alia. Excipiūtur noceo, placeo, ualeo, doleo, oleo, pareo, quæ ĭtum habent penult. breui, careo caritum & caſſum, taceo tacitum, pateo paſſum. A maneo compoſita quæ a in i conuertunt, nulla ſupina habēt, ut emineo. Cætera parentem in ſupino referunt, ut remaneo remanſi, remanſum, &c.

TERTIA CONIVGATIO.

Hæc coniugatio præter cæteras hoc iuris habet (teste Valla lib. 1. cap. ult.) ut e literam in Gerundijs immutare possit, ut repetundi, repetundo, repetundum, &c. Præterita huius coniugationis literarum serie tractabuntur.

BO.

Verba in bo longa uocali natura bo præcedente præteritū in psi, cætera uero in bi faciunt. In psi, ut scribo scripsi, & ab eo nata, ut adscribo, conscribo, circumscribo, describo, exscribo, inscribo, perscribo, præscribo, proscribo, rescribo, subscribo, omnia penult. longa. Nubo, nupsi, sic connūbo, obnūbo, pronūbo penul. longa. In bi, ut bibo bĭbi, sic eius composita, adbĭbo, combĭbo, ebĭbo, imbĭbo, prębĭbo, perbĭbo, subbĭbo, omnia penult. correpta. lambo lambi, scabo scabi, sic glubo & compositum deglubo.

Composita à cubo uĭ habent in præterito, ut accubui, discubui, &c.

CO. QVO.

1. Verba in co & quo, n antecedente, abiecto n in præteritis ci faciunt, uinco uīci: sic composita, conuinco, deuinco, euinco, præuinco, prouinco: linquo liqui, ita delinquo, relinquo.

2 Verba in co s præcedente, sco in ui uertunt in præterito, ut quiesco quieui, sic aquiesco, conquiesco, requiesco: pasco paui, ita compasco, depasco: sed compesco & dispesco uĭ habent, compescui, dispescui. Cresco item creui, & ab eo composita,

compoſita, accreſco, concreſco, circumcreſco, decreſco, excreſco, increſco, recreſco, ſuccreſco, ſupercreſco: cõſueſco conſueui, ſic adſueſco, deſueſco, inſueſco: noſco noui, ſic ab eo nata, agnoſco, cognoſco, dinoſco, ignoſco, internoſco, præcognoſco, recognoſco: ſciſco ſciui, & eius compoſita, adſciſco, conſciſco, deſciſco, reſciſco, &c. Excipiuntur poſco popoſci, diſco, didici, conquiniſco conquexi, authore Capro citante Priſc. lib. 10. & ſignificat caput inclinare.

3 Inchoatiua à thematis ſuis præterita mutuantur, ut ſuprà notatum eſt, ut ſeneſco ſenui.

4 Verba in co longa uocali præcedente præteritum in xi faciunt, ut dico dixi, ſic compoſita, addico, benedico, condico, contradico, edico, indico, interdico, prædico, maledico, & omnia penultimant longa. Ita duco etiam & eius compoſita, abduco, adduco, conduco, deduco, didūco, edūco, induco, introduco, obduco, perduco, produco, reduco, ſeduco, ſubduco, traduco. Ico tamē ici facit in præterito. Coquo etiam priore breui coxi format, cum ſuis compoſitis, concŏquo, decŏquo, excŏquo, percŏquo, pręcŏquo, recŏquo, quæ omnia penultimam breuem habēt. Parco parſi & peperci, olim parciui. Neuius apud Marcellū. Nemo parciuit ſuo labori.

D O.

1 Verba in do uocali natura longa antecedẽte, præterita in ſi faciunt, ut rado raſi, & ab eo cõpoſita, abrado, circumrado, corrado, derado,

erado, obrado, perrado, quæ omnia in penult. protelantur. Ludo lusi cum suis compositis, alludo, abludo, colludo, deludo, eludo, illudo, præludo, penult. lon. Lædo læsi, composita æ diphthongon in i longum cõmutant, ut allido allisi, sic collido, elido, illido, oblido. Claudo siue cludo clausi & clusi. Cõposita u longum pro au habent, ut includo, concludo, antecludo, discludo, excludo, occludo, præcludo, recludo, secludo: rodo rosi cum suis compositis, arrodo, corrodo, erodo, prærodo penult. longa.

Trudo trusi, & eius composita, detrudo, extrudo, obtrudo, obstrudo siue abstrudo, protrudo, retrudo, penult. longa. Vado uasi, & ab eo nata, circumuado, euado, inuado, peruado, penult. longa.

Cedo cessi habet cum suis compositis, accedo, abscedo, concedo, decedo, excedo, incedo, intercedo, præcedo, procedo, recedo, retrocedo, secedo, succedo, penultima longa.

Cædo cum diphthongo cæcīdi format, & ab eo nata æ in i uertunt, abscido, concido, decido, excido, incido, intercido, præcido, recido, penultima longa.

Cudo secundum Diomedem, Charisium & Phocam in præterito cusi habet, secũdum alios cudi, quod posterius composita imitantur, ut excudo, procudo, recudo, penultima longa.

Rudo rudi, strido stridi absq; supinis.

Fido fisus sum, sic confido, diffido.

Verba

2 Verba in undo & indo abiecta n præterita in di formant, findo fidi, diffindo diffidi, infindo infidi, penultima breui, ſcindo ſcidi, abſcindo abſcĭdi, penultima breui: ſic diſcindo, interſcindo, proſcindo, reſcindo.

Fundo fudi cum ſuis compoſitis, affundo, confundo, circunfundo, diffundo, &c.

3 Complura uerba in do mutant do in di in præterito, ut pando pandi, mando mandi, ſcando ſcandi, prehendo prehendi, defendo defendi, oſtendo oſtendi: ira accendo, incendo: edo, cōmĕdo, aſcendo, deſcendo. Compoſita ſimplicium formam ſequūtur. Diuido diuiſi format, Sido prĕteritum deſyderat. Infra de uerbis prĕteritum mutuantibus.

4 Verba in do principalem ſyllabam duplicantia in di præterita faciunt, ut pendo pependi, tendo tetendi, pedo pepedi, tundo tutŭdi, cado habet cecidi.

5 *Compoſita à uerbis initialem thematis ſyllabam in præterito duplicantibus, eandem non* repetunt, ut remordeo remordi, reſpondeo reſpondi, ſuſpendo ſuſpendi, attingo attigi, cōtundo contŭdi, extundo extŭdi. Politianus in ruſti co, Achæmenium Maratonis in ęquore Perſem Contŭdit. Et paulò infra, Nunc age, quæ ſtudia agricolis induſtria ſolers Extŭdit. Verg. in 8. Et lapſa ancilia cœlo Extuderat. Extendo extendi, decĭdo decĭdi, & reliqua à Cado compoſita. Excipiuntur compoſita à diſco & poſco,

quæ eandem geminant, ut depopoſci, edidici: unum à pungo, repupugi: & à curro, prȩcucurri, excucurri, procúcurri. Priſc. lib. 10. ait hæc à curro compoſita inueniri utroque modo ab authoribus prolata, ut decurri & decucurri.

6 Compoſita à do præterita in dĭdi faciunt penul. bre. ut addo addidi, ſic condo, dedo, credo, edo, indo, perdo, reddo. *Abſcondo* format abſcondi, & abſcondidi. Plau. *in* Carbonar. Secundum ipſam aram aurum abſcondidi.

GO. GVO.

1 Verba in go r præcedente præterita in ſi formant, ut mergo merſi, ſic immergo, demergo, ſubmergo, &c. Spargo ſparſi: compoſita a in e mutant, ut aſpergo, cõſpergo, reſpergo, reſperſi, diſpergo, diſperſi, &c. Rego cum tota compoſitorum familia xi habet in præterito, ut rego rexi, ſurgo ſurrexi, pergo perrexi.

2 Verba in go & guo r non præeunte, præterita plærunque in xi formant, ut cingo cinxi, ſic pingo, tingo, fingo, mingo, ſtringo, ringo, figo, iungo, &c. cum omnibus compoſitis, ut accingo accinxi, ſic depingo, intingo, refingo, permingo, cõſtringo, adfigo, diſiungo, &c. Ango, anxi, ſtingo, ſiue ſtinguo ſtinxi, & compoſita, extinguo, reſtinguo. Vngo ſiue unguo unxi cũ ſuis compoſitis, inungo, perungo. Sugo ſuxi, ita exugo. Excipiuntur tango tetĭgi, attingo attigi, ſic cætera cõpoſita. Pungo pupugi format, & punxi, expungo expunxi tantum, repungo repu-

repupugi & repunxi, ut Capro uidetur, qui repunxi utendum esse præcipit, cum rationis aut kalendarij incidit mẽtio, Repupugi uero, quãdo uicem redditam ostendimus. Pango in prẽterito pepigi, panxi et pegi format. Fabius libro primo, capite decimo, pepigi à pago deducit, quo usi sunt ueteres. Hoc uerbũ ob rem in bello Grammatico strenuè peractã tres à rege suo sensus accepit. Primo enim significat idẽ quod figo, natum à Græco uerbo πηγνύω uidetur. Vnde & clauum pangere Liuius dixit libro ab urbe cond. 7. in fronte. Et Columella malleolos pangere. Et depactam quercum Plinius libro uigesimoquarto, capite primo. Deinde pro cano accipiunt. Postremo pro paciscor. Sũt etiam qui secundum hæc tria significata, præterita quoque diuisere, iuxta tritum uersiculum,

Clauũ hũc Prætor maximus pangebat in dextro latere Aedis Iouis, eratq; nota numeri annorũ.

Pegi iungo, cano panxi, pepigi & paciscor.

Sed columella lib. 11. cap. 2. de oleari talea loquens, Eamq; ait, oportet, cum panxeris fimo & cinere oblinire. Composita à pango partim a seruant, ut depango, circumpango, repango: partim a in i uertunt, ut adpingo, cõpingo, impingo impegi. Clango Prisciano clanxi habet: clangui legis Numerorum capite 10. Si semel clangueris, uenient ad te principes, &c.

3 Hęc tria uerba ago, frãgo, lego, cum eorum compositis, præterita in egi faciunt, ut ago egi, adigo adegi, cogo coẽgi, frango fregi: sic infringo, confringo, perfringo, &c. Lego legi, colligo

collegi. Sed tria à lego composita xi habent, ne*gligo neglexi, sic intelligo, diligo.*

HO.

Verba in ho finita, mutant ho in xi in præteritis, ut ueho uexi, traho traxi. Sic composita in*ueho inuexi, contraho contraxi.*

LO.

1 Verba in lo per luï exeunt *in* præterito, ut alo alui, colo colui, occulo occului, consulo cõsului, molo molui, uolo uolui. Cõposita à simplicium præteritis non descisunt, ut re colo re*colui, sic commŏlo, permŏlo, nolo nolui.*

2 Verba *in* lo geminum ll habentia, præteritum in li faciunt, ut psallo psalli, sallo, id est sale aspergo, salli, uello uelli & uulsi. Composita à simplici non degenerant,

3 Hæc uerba pello, fallo, tollo, quæ à mutis incipiunt, duplicato principio in li præterita faciunt, ut pepuli, fefelli, tetuli. Vsus *tuli & sustuli* habet. Veteres quoq; *tulo tetuli dixerunt. Com*posita *illorum initialem syllabam non gemi*nant, ut *compello compuli, refello* refelli. Eras. epist. 21. lib. 9. *Ne pestis isthinc te iam aliquo* propulsisset, non propulisset, nisi codex sit mendosus.

4 Cõposita à cello, quod Latinis in usu non est, uï habent in præterito, ut excello siue excel*leo excellui, sic antecello, præcello: percello ta*men perculi habet & perculsi. Terentius, Per*culsit illico animum.*

MO.

MO.

1 Verba in mo longa uocali præcedente in pſi præterita faciunt, ut como compſi, ſic promo, ſumo & demo, à de & emo. Compoſita ſimplicium ueſtigijs inſiſtunt, ut depromo, expromo penultima longa. Adſumo, conſumo, inſumo, præſumo, reſumo penultima longa.

2 Quæ breuẽ ante mo uocalem habent, præterita in uĭ faciunt, ut tremo, tremui, ſic uomo, gemo, fremo. Compoſita à ſimplicium norma ne latum quidem unguem aberrant, ut contrĕmo, euŏmo, ingĕmo, infrĕmo, penultima breui.

3 Premo prẽſsi format. Compoſita e in i breue uariantia, ſimplicis præteritum neutiquam reſpuunt, ut cõprĭmo cõpreſsi, ſic deprimo, exprimo, imprimo, opprimo, reprimo, ſupprimo.

4 Emo in præterito format emi. Compoſita eius populatim ſequũtur, ſed e ſimplicis in i breue cõmutant, prẽter coĕmo, utadĭmo adẽmi, ſic coemo, eximo, iterĭmo, perimo, redimo, dirimo

NO.

Verba in no, præterita in ui ſyllabam faciũt, ut ſino ſiui, & cõpoſitum deſino deſiui & deſij per Syncopẽ, ſperno ſpreui, ſterno, ſtraui, ita cõſterno, externo, inſterno, proſterno, ſubſterno, ſuperſterno. Lino leui, ueteres lini & liui. Colum. lib. 12. cap. 50. Multi cum dolia noua ſemel gummi liuerunt. Compoſita uſitatius præterita per eui faciunt, ut relĭno relẽui. Teren. Heauton. Releui omnia dolia: ita collino colleui,

illino illeui, oblino obleui. Varro tamen rerum rusticarum inquit, cum oblinerunt uasa. Allino alleui, delino, elino, perlino, sublino penul. breui. Cerno pro cribro creui habet, & pro adeo. Cicero ad Atticum lib. 11. epist. 2. Eoq; ipso die ex testamento creui hæreditatem: & pro uideo, Plaut. in Cistellaria, Et mihi amicam esse creui, id est uidi. Vsitate tamen cerno pro uideo, nullum ex se præteritum creat.

Temno tempsi, & contemno contempsi, in præterito formant.

2 Pono cum suis compositis no in sui mutat in præterito, ut posui apposui, sic compono, circumpono, depono, dispono, expono, impono, interpono, oppono, repono, sepono, penultima longa. Apuleius & Plautus posiui usurpauerunt.

3 Cano cecini habet in præterito, Composita eius o in ui bisyllabum in præteritis commutant, ut accino accinui, concino concinui, sic occino occinui. Salustius in 1. historiarum dixit, Iussu Metelli cornicines occanuere. Leguntur etiam concini, occini, succini, iuxta analogiam à themate formatam.

Gigno facit genui, sic ingigno, & progigno. Vetustissimi geno pro gigno usi sunt, & geni pro gigni. Authore Prisc. lib. 10.

PO.

1 Verba in po, mutant po in psi in præterito, ut carpo carpsi, sic scalpo, sculpo, repo, clepo, serpo,

serpo, sarpo, id est, purgo antiquum. Composita simplicium formã æmulantur, ut concerpo, decerpo, excerpo, insculpo, exculpo, adrẽpo, obrepo, prorepo, surrepo, penult. lon. Inserpo.

2 Rumpo cum suis compositis habet rupi, ut abrumpo abrupi, sic corrũpo, dirumpo, erumpo, irrumpo, perrumpo, prorumpo.

3 Strepo cum tota compositorum familia in præterito uĩ habet diuisis syllabis, ut strepui, sic constrẽpo, circumstrẽpo, instrẽpo, perstrẽpo penult. breui.

RO.

Verba in ro per ui syllabam præterita faciũt, ut tero triui, & composita attero, contero, detero, extero, intero, obtero, protero, penult. breui. Quæro quæsiui, cum suis compositis, acquiro, cõquiro, disquiro, exquiro, inquiro, perquiro, requiro, penultima longa. Sero seui. Composita uariant, insero inserui, interponere seu intermiscere. *Insero inseui* ἐμφυτεύω, Consero conserui, committo, commisceo. Consero conseui, φυτεύω seu semino: obsero obseui, circumsero circumseui: adsero siue assero uĩ habet, sic desero, dissero, exero, penultima breui. Ab obsero obsitum legis. Annis pannisq; obsitum. Pris. lib. 10. asserit cõposita à sero, si simplicis significationẽ mutant, rui habere in præterito: sin minus, seui.

Curro cucurri format in præterito. Accurro accurri, decurro decurri. Vide supra de uerbis in do.

Verro uerri & uersi: usitatius uerri authore Prisciano. Ita composita conuerro, deuerro.

Gero & uro cum eorũ compositis s duplicato in prȩterito ſsi faciunt, ut gero gessi, sic aggero, cõgero, digero, egero, ingero, progero, regero, suggero, penult. breui. Vro ussi, ita aduro, comburo, deuro, exuro, inuro, penult. longa.

Furo prȩterito caret atq; supino, mutuatum habet, insaniui: furui tamen legitur apud Philelphum & Sedulium.

SO.

Verba in so, mutant o in iui in prȩterito, ut accerso, arcesso, lacesso, iui.

Hæc quatuor, capesso, facesso, incesso & uiso, o in i mutant in prȩterito, ut capessi, etiam capessiui ut Saluſtius. Cicero facessitum dixit, quod à prȩterito analogico oriri debet. A quæso defectiuo quæsiui dixit Saluſtius in 1. Historiarum. Curionẽ quęsiuit uti adolescentior, &c. Sunt qui quæsi forment. Pinso pinsi & pinsui pistum in supino: legitur & in prima coniugatione. Depso uĩ. M. Cato cap. de re rust. 76. Deinde manibus depsito. Et ubi depsueris. Itẽ in eodem, Postea in farinæ lib. 2. conspergito, condepsitoq;, Beren / knätten. Idem in eodem, In mortarium purum manibus condepsito.

TO.

Verba in to formant prȩteritum in uĩ diuisis syllabis, ut meto messui, sic demeto, prȩmeto penult. correpta. Inepto ineptui, teste Prisc. li.

par-

partitionum 6. Sterto ſtertui, & ſterti, teſte Priſc. lib. partitionum 6. Perſius ſat. 9. Poſtquam deſtertuit eſſe Mœonides. i. Homerus.

Necto nexui & nexi rarius. Sic compoſita, Adſiue annecto annexui, connecto, innecto, obnecto, ſubnecto. Plecto plexi antique, nunc plector. Pecto pexui, pexi & pectiui. Colu. pectitum penultima correpta, li. 10. de cultu agrorum, Verum ubi iam puro diſcrimine pectita tellus: & lib. 12. cap. 3. pectitæ lanæ.

Flecto flexi format, & eius compoſita, circunflecto, deflecto, inflecto, reflecto.

Verto uerti habet, ſic aduerto, animaduerto, conuerto, diuerto, auerto, euerto, &c.

Peto petiui format, & petij per ſyncopen. Cõpoſita ſimplicis formam ſequuntur, ut appeto, repeto, oppeto, ſuppeto penultima correpta.

Mitto cum ſuis compoſitis facit miſi, ut admitto, amitto, committo, demitto, dimitto, emitto, immitto, omitto ab ob & mitto, promitto, præmitto, remitto, ſummitto.

Siſto actiuum, eſt exhibere quempiam præſentem coram iudice ſtellen oder fürſtellen: & tunc mutuatur à ſtatuo præteritum ſtatui. Cato ſtitiſſes dixit. Gellius ſtiti, lib. 2. cap. 14. Phocæ & Priſciano in hoc ſignificatu tam in ſimplici quàm in compoſito præterito caret. Quando uerò neutrum ſiue abſolutum eſt, præteritum à ſto mutuo habet ſteti. Et compoſita compoſitorum præterita à ſto imitantur, ut adſiſto adſtiti,

sic consisto, desisto, existo, insisto, obsisto, persisto, resisto, subsisto.

V O *monosyllabum.*

In uo syllabam præcedẽte ui habent in præterito, ut uoluo uolui, sic aduoluo, conuoluo, euoluo, inuoluo, obuoluo, prouoluo, reuoluo, &c. Soluo solui, ita absoluo, dissoluo, exoluo, persoluo, resoluo. Caluo calui pro decipio Lib. 10. Prisc. Viuo cum suis compositis uo in xi mutat in præterito, ut uixi, reuixi, conuixi.

X O.

Duo sunt in xo, quæ o in ui conuertunt in præterito, ut nexo nexui, texui: sic cõposita, attexo, contexo, intexo, prætexo, retexo retexui.

C I O.

Verba in cio a in e mutata, præteritum formant in eci, ut facio feci. Composita cum præpositione a mutant in i breue: cum alia orationis parte simplicis uocalem mordicus tenent: & tam hæc quàm illa simplicis præteritum habent, ut afficio affeci, sic conficio, deficio, efficio, inficio, officio, proficio, præficio, reficio, suffi-cio: ita calefacio calefeci: sic bene & malefacio, tabefacio, tepefacio, & id genus alia. Hoc uerbum facio in bello Grammatico orbatum fuit filio suo facior: quod tamen priusquam expiraret, militari testamẽto hæredem sibi instituit fio.

Iacio item ieci habet cum suis compositis, quæ & ipsa in præsenti a in i uertunt breue, ut abiicio, adiicio, coniicio, deiicio, eiicio, iniicio, obi-

obiicio, proiicio, porricio, reiicio, subiicio, traiicio.

Duo sunt inusitata in cio, lacio & specio, quorum composita xi habẽt in præterito, ut allicio allexi: sic delicio, illicio, oblicio, pellicio. Elicio tamen elicui facit. Liuius li. ab urbe cond. 5. Ad colloquium uatem elicuit. Quin & ueteres etiam allicui & pellicui dixerunt, ut docet Prisc. lib. 9. Composita à specio in præsenti e in i mutant, ut aspicio aspexi, sic conspicio, circumspicio, despicio, inspicio, prospicio, respicio, suspicio. Porrò hæc composita à lacio inquam & specio penultimam secundæ & tertiæ personæ sing. corripiunt.

DIO.

Vnum est in dio uerbum, quod cum suis compositis di in præterito facit, ut fodio fodi, sic confodio, circunfodio, effodio, perfodio, refodio, suffodio & transfodio.

EIO.

Vnum est in eio, ut meio, quod in præterito mei habet secundum Diomedem: alij mutuatum huic attribuunt minxi à mingo.

GIO.

Vnum est in gio, ut fugio, quod cum suis compositis fũgi habet in præterito, ut aufugio aufũgi, sic cõfugio, effugio, diffugio, perfugio, profugio, refugio, suffugio, transfugio. Obseruabis su syllabam in præsente corripi, in præterito uero produci.

PIO.

Duo uerba in pio, prȩterita in ui formant diuisas syllabas, ut rapio rapui: sic composita abripio, arripio, corripio, diripio, eripio, proripio, surripio, quȩ a in i uersa, penultimȃt breui.

Sapio sapui & sapiui, desipio desipui, resipio seu potius resipisco resipui, penul. cor.

Capio cepi, sic eius composita, accipio accepi, cõcipio, decipio, excipio, incipio, intercipio, præcipio, percipio, recipio, suscipio, penul. cor.

Cupio cupiui, quod à Lucretio usurpatur, ut uerbũ quarti ordinis, lib. 1. Confringere ut arcta naturæ primus portarum claustra cupiret.

RIO.

Vnum est in rio, pario, quod peperi in prȩterito facit. Composita in quartam classem demigrant, in qua iuxta Ennium & simplex domicilium olim habuit, Oua, inquit, parire solet genus & pennis decoratum.

TIO.

Vnum est in tio, quatio, quod quassi habet. At composita in usi prȩterita formant, ut concutio concussi: sic decutio, discutio, excutio, incutio, percutio, succutio.

VO *dissyllabum.*

1 Verba in uõ dissyllabum in prȩterito habẽt uĩ, ut arguo argui, imbuo imbui, sic metuo, induo, statuo, & eius composita, constituo, destituo, instituo, præstituo, prostituo, restituo, substituo. Ruo cum suis compositis, corruo, dirruo, eruo,

eruo, obruo, proruo, subruo. Sic spuo cum sua prole, conspuo, despuo, exspuo, inspuo, respuo, & hæc & illa penult. corripiunt. Suo etiã & cõposita ab eo nata in præterito iam dictis sese cõformant, ut adsuo, consuo, exuo, insuo. Composita itẽ à nuo, ut abnuo abnui, sic ad siue annuo, innuo, renuo. Item à gruo nata, ut ingruo, congruo. Tum composita à lauo siue luo, ut abluo, alluo, colluo, diluo, eluo, illuo, polluo, prçterluo, reluo, penul. cor. Item pluo plui cum sua prole, ut appluo, cõpluo, impluo, perpluo, pen. cor. pluo etiam pluui apud ueteres. Liuius in 23. Sanguine pluuit. Item lib. ab urbe con. 2. & in 21. & 22. lapidibus pluuisse scripsit.

2 Struo & fluo cum tota uerborum familia xi in præteritis formant, ut struo struxi, sic composita, adstruo, construo, destruo, extruo, instruo, obstruo, præstruo, substruo. Fluo fluxi, ita affluo, confluo, circũfluo, diffluo, defluo, effluo, influo, interfluo, perfluo, præfluo, præterfluo, profluo, refluo, superfluo, subterfluo, penultima correpta.

DE SVPINO TERtiæ coniugationis.

B I.

Verba quæ in præterito bi habent, addunt tum in supino penul. correp. ut bibo bibi bibitum, lambi lambitum. Scabo supino caret.

C I.

Præterita in ci formant supina in ctum, ut

uinco uici uictum, ico ictum, facio factum, iacio iactum: quorum composita cum præpositione e in penultima seruant, ut inficio infectū, adijcio adiectū. Posco & disco supina respuunt. Prisc. lib. 10. poscitum & discitum. Vnde discitu rus apud Apuleium. Discitum tamen ab Erasmo in Copia uerborum repudiatur.

D I.

1 Præterita in di mutant di in sum in supinis, ut tundo tusum & tunsum, authore Seruio & Diomede. Composita tusum habent, ut contusum, pertusum, retusum. Scando scansum, sic & composita, ascendo ascensum, mando mansum, prehendo prehensum, defendo defensum, cado casum, & duo composita, ut occĭdo occasum, recĭdo recasum. Cicero recasurum. Suetonius recasura dixit in Augusto. Reliqua composita supina desyderant. Cædo cæsum, & composita, ut occido occisum, recido recisum, &c.

2 Hæc uerba in supino s duplicant, ut scindo scidi scissum, sic findo, fodio, pando passum, cōmune uidelicet supinum cum patior & pateo, Rudo, strido & sido supinis carent.

Hæc uerba supina geminant, edo esum, raro estum, sed comĕdo comēsum & comestum. Cętera esum habent solum, ut exĕdo exesum, obĕdo obesum. Tendo tensum & tentum, sic composita extendo, intendo, ostendo, prætĕdo, &c. Abscondo absconsum & absco̅ditum usitatius. Pedo pepedi peditum, Prisc. caret.

Com-

3 Composita à do, di præteriti in tum uertunt in supino, ut addidi additum, sic reddo, probo & condo, &c.

GI.

Præterita in gi formant supina in ctum, ut legi lectum, ago actum, frãgo fractum, tango tactum. Sic & composita colligo collectum, adigo adactum, perfringo perfractum, attingo attactum, pango pepigi & pegi pactum, pungo punctum, sed à præterito punxi aptius. Dego nullum supinum habet. Fugio cum suis compositis ĭtum facit in supino penult. cor. ut fugitum aufugitum.

LI.

Verba quæ in li præterita formant, supina in sum faciunt, ut fallo falsum, sallo salsum, uello uulsum, & eius composita, Pepuli pulsum, percello perculsum. Fero & tollo latum. Psallo nullum.

MI. PI.

Præterita in mi & pi desinentia, formant supina in ptum, ut emo emptum, rupi ruptum, cepi captum. Composita à simplicium forma nõ deficiunt, ut adimo ademptum, dirumpo diruptum, accipio acceptum.

NI.

Vnum est, cano cecini cantum: sic concini contentum, succini succentum.

QVI.

Linquo liqui supino caret, Composita ictũ habent, ut delictum.

o

RI. SI.

Hraf. ep. 22 lib. 1. Christo parturis eosdem.

1 Præterita in ri & si formant supina in sum, ut curro cursum, uerro uersum. Pario partum habet, participium tamen pariturus non parturus. Rado rasi rasum, uiso uisum, parco parsi parsum, lædo læsi læsum. Sic trudo, ludo, uado. Vello uulsum. Diuido diuisum. Spargo sparsum. Composita a in e mutant, ut inspergo inspersum, respergo respersum. Premo pressi pressum cum suis compositis, facesso & capesso supin. desyderant. Quatio quassum, concutio concussum, &c. composita.

2 *Mitto cũ tõta prole* compositorum missum habet, s geminato, ut promitto promissum.

3 Vro & gero cum eorum compositis stum in supino formant, ut ustum, adustum: gestum, digestum. His additur pinso pistum.

PSI.

Præterita in psi formant supina in ptum, ut scribo scripsi scriptum, nubo nupsi nuptum: sic como, promo, scalpo, serpo, carpo, repo, sumo, demo dempsi demptum.

TI.

Verto cum suis compositis uersum habet in supino, ut aduerto aduersum, conuerto conuerti conuersum.

VI *monosyllabum.*

1 Præterita in ui mutant ui in tum in supinis penul. long. ut nosco notum. Composita à cre-

sco

sco, ut accresco, accreui, accretũ. Sic quiesco, consuesco, scisco, sterno straui stratũ, sic & eius cõposita. Tero & ab eo nata tritum, ut detero detritũ: quæro quæsiui quæsitum. Excipiuntur agnosco agnoui agnitum: sic cognosco. Pasco paui pastum. Sero seui satum. A sero composita si simplicis significatum retinent, & in eui præterita faciunt, itum habent penultima correpta, ut consero conseui consitum, insero inseui insitũ, &c.

2 Soluo & uoluo cum eorum compositis ũtum habent in supino penult. longa, ut solutũ, absolutum: uolutum, reuolutum.

3 Sino, desino, lino, & eius cõposita itum habent in supino penultima breui, ut situm, desitum: litum, collitum, illitum, oblitum, &c.

VI *dissyllabon.*

1 Præterita in uĩ formant supina in ĭtum penultima correpta, ut accumbo accubui acubitũ, sic cætera huius ordinis cõposita à cubo. Item molo cum suis compositis commŏlo, emŏlo, permŏlo. Alo alitum & altum. Vomo uomitũ, & composita: ita gemo, strepo, pono positum, gigno genitum, pinso pinsui pistum. Columella pinsitum & pinsum dixit, lib. 6. cap. 8. Proderit allium pinsitum cum oleo per nares infundere. Lib. 8. cap. 4. Cibaria gallinis præbentur optima, pinsitum ordeum & uicia. Varro pinsorem scripsit.

2 Hæc tria, colo, consulo, & occulo, in ultum supina faciunt, ut cultum, consultum, occultum.

3 Composita à sero, quando in præterito rui habent, ertum in supino formant, ut insero inserui insertum, sic consero, desero, adsero, exero, dissero disertũ facit unico s. Ab obsero obsitum extat. Sterto caret supino. Meto cum suis compositis messum habet. Pecto & necto cum eorum compositis xum habent in supino, ut pexum, depexum, nexum, annexum.

4 Texo cum prole textum, retexo retextum.

5 Rapio cum suis cõpositis in supino ptum format, ut raptum, arreptum, correptum, &c.

6 Sapio sapui nullum, sapio sapiui sapitum format, teste Prisciano.

7 Composita à cano supino in entum faciũt, ut accino accinui accentum, sic succino, præcino, concino, &c.

8 Verba in uõ in uĩ præteritum desinentia, supina, si habent, in utum formant penultima longa, ut arguo argui argutum, redarguo redargutum, sic cętera composita, imbuo imbutum, suo sutum, assuo assutum, statuo statutum, & composita constitutum, restitutum. Sic pluo plui & pluui plutum, & composita, ut complutum.

9 Ruo rutum & ruitum habet. Composita rutum, pen. bre. ut diruo dirŭtum, eruo erŭtum, obruo obrŭtum.

Infra de supino carentibus.

10 Annuo & innuo Prisciano utum habent, penult. lon. annutum, innutũ. Nuo nui nutum habere uidetur: unde nuto frequentatiuum. Composita à luo iuxta analogiam utum habẽt,

penult.

penult. long. ut diluo dilūtum: unde dilutus participium.

11 Induo & exuo utum habent penul. longa.

XI.

1 Præterita in xi mutant xi in ctum in supin. ut dico dixi dictum: sic duco, coquo, rego & composita, edictum, reductum, &c. coctum, correctum, directum, frigo frictū. Pango panxi nullum.

2 Hæc quinq; fingo, stringo, mingo, pingo, & ringo, n abiecto, formant supi. in ctum, ut fictum, strictum, mictum, pictum, rictum. Composita simplicium supina retinent, ut confictū, restrictum, depictum.

3 Hæc tria iungo, tingo, ungo, cum eorum compositis n seruant ac formāt supina in ctum, ut iunctum, adiunctum: tinctum, intinctum: unctum, perunctum,

4 Hæc quatuor intelligo, negligo, diligo & tego cum suis compositis ectū habent in supin. ut intellectum, tectum, retectum.

5 Hæc quinq; flecto, plecto, figo, necto, fluo, & eorum composita xi mutāt in xum in supin. ut flexum, reflexum: fixum, defixum: plexum, nexum, connexum: fluxum, defluxum.

QVARTA CONIVGATIO.

OMNIA quartæ coniugationis uerba in io exeunt, præter eo, queo & ueneo, & ex eis composita.

1 Verba quarti cōiugatus iui in præterito ha-

bent, & ij per syncopen, ut audio audiui & audij, ita cio, scio, sepelio, gestio, præsagio, suffio, quod à fio natum uidetur. Prisc. lib. 10.

2 Excipiuntur uenio ueni penult. lon. sic cõposita aduenio, conuenio, circumuenio, deuenio, euenio, inuenio, obuenio, peruenio, prauenio, prouenio, subenio, superuenio. In his uerbis e in penultima syllaba præsentis corripitur, in præterito protelatur.

3 Vincio uinxi, sic deuincio, reuincio. Sancio sanxi & sanciui apud ueteres.

Alij etiam farciui.

4 Sarcio, resarcio si habent in præterito: sic farcio farsi, & composita confercio, effercio & effarcio, infercio, offercio, refercio refersi, fulcio, suffulcio, fulsi.

5 Haurio hausi. Inuenitur hauriui & hauri, Var. ad Ciceronem, Quum inde haurierint. Apuleius hauritum.

6 Sentio in præterito sensi habet, composita sequuntur, ut assentio assensi: sic cõsentio, dissentio, persentio, præsentio, subsentio.

7 Sepio sepsi cum suis compositis, consepio, circumsepio, intersepio, obsepio. Esaias cap. 5. iuxta uulgatam æditionem, Vineam plantauit & sepiuit eam. D. Hieronymus in sua translatione ait, Et sepsit eam.

8 Salio pro salto siue saltum facio, præteritum format saliui, suauius tamen salij per syncopen. Etiam saluï, quod composita comprobant, adsilio, desilio. Verg. Desiluit Turnus bijugis: exilio,

exilio, insilio, prosilio, præsilio, subsilio, transilio. Liuius lib. ab urbe cod. 1. Nouos transiluisse muros. Cicero pro Milone, Deiecta penula transiliunt. Hæc penultimam secundæ ac tertiæ personæ corripiunt.

Salio ꝓ sallo, idest sale aspergo, saliui & salij.

Cambio τὸ ἀμείβομαι campsi facit, ab ἔκαμψα indefinito primo τῆς κάμπτω uerbum inusitatius, quo tamē Apuleius utitur. D. Eras. in Cōuiuio prophano asserit, cambrie pro commutare penitus barbarum esse.

Composita à pario præterita faciunt in uī, ut aperio aperui, sic adaperio operio & cooperio. Præter comperio comperi & reperio reperi. Amicio amicui, etiam, sed raro, amiciui. Var. amixi formauit. Sceleris magister amixit.

DE SVPINO.

Verba quartæ coniugationis iui in præterito habentia, formant supina per itum penultima longa, ut audiui auditum, suffiui suffitum, ciui citum. Hæc uariant. Venio cum suis compositis uentum. Cambio campsum facit. Singultio singultum, uincio uinctum, & composita ut reuinctum. Sancio sanctum & sancitum: fulcio fultum, haurio haustum, sentio sensum, & composita, sepio septum cum suis compositis. Sartio sartum, & ab eo composita. Sepelio sepultum. Salio saltum. Composita insilio insultum, resilio, resultum. Raucio rausum. Veneo ueniui & uenij uenum.

Alij etiam sarctū. Vnde Sarctor.

Compoſita à pario in ertum ſupina formant, aperio apertum, comperio compertum.

Eo & queo cum eorum compoſitis itum habent in ſupino penultima correpta, ut adeo aditum, ſic anteeo, circumeo, coëo, exeo, ineo, obeo, pereo, depereo, diſpereo, præeo, redeo, ſubeo, tranſeo, pertranſeo. Item à queo, nequeo nequitum. Ambio ambitum habet penult. long. Inde ambitus participium. Ouid. Meta. 2. Iuſsit & ambirę circundare littora terrę. Ambitus uero nomen penult. correpta. Lucanus in 1. Lætalisq; ambitus urbi.

DE PRAETERITIS AC SVPINIS uerborum in or deſinentium.

Verba paſsiua, deponentia & cõmunia, prę terita ſua per periphraſin participij præteriti tẽporis & uerbi ſubſtantiui ſum uel fui efferunt.

Diuiduntur hæc in quatuor coniugationes, quarum Prima habet a productũ ante re in imperatiuo. Secunda e longum. Tertia e breue. Quarta i protelatum.

Verba in or primæ claſsis, ātus habent in præterito, *ātum* in ſupino, ut amor amatus ſum, medicor medicatus ſum, medicatum medicatu, ſic lętor, miror & compoſita, contemplor, dignor, populor, &c. Communia ſunt hæc, criminor, interpretor, hortor, moror, oſculor, ueneror, ſtipulor. Hoc paſsiuum Educor eductus & educatus facit in præterito, ſed educatus frequentius. Cicero educatus & educata dixit. Vergil.

Edu-

Eductum Aegeriç lucis. Terentius eductã. Politianus li. 8. epist. 17. Qui non sit ab eo eductus & tanquam lactis nutrimento educatus.

Hic obseruabis, passiua quorum actiua supinis caruerint, præteritum habere non posse, quum participium præteriti temporis quo in præterito passiuç uocis utimur, à posteriore supino deriuetur. Igitur discor, metuor, timeor, renuor, urgeor, & id genus plurima præterita desyderant.

Item passiua quorum actiuis geminatum supinum habere contigit, prçteritum etiam geminatum adsumunt, ut abscondor absconsus & absconditus magis usitate, quia condor conditus: alor altus, frequentius tamen alitus: ostendor ostensus & ostentus: inseror insertus et insitus, pro diuersis tamen significatis.

1 *Verba passiuæ uocis secundi coniugatus* præterita uariant, nam passiua pro supini uerbi actiui uariatione uaria prçterita usurpant, ut *doctus a um sum uel fui: tentus sum à teneor, iubeor iussus sum, habeor itus sum. A deleor delitus sum & deletum.* Cicero ad filium, cæteris delitus. Varro, delitæ literæ. Fortasse à delĭnor delitus nascitur.

2 Deponentia huius classis itus sum habĕt in præterito, itum in supino penul. cor. ut uereor, ueritus sum & ueritum, sic reuereor, liceor, polliceor, mereor, merui & meritus sum. Tueor & tuor tuitus sum et tut⁹ à tuor. Excipe reor ratus

sum, misereor misertus sum per Syncopen, fateor fassus sum. Composita cõfiteor, profiteor, fessus sum: confessum, professum in supino.

Medeor ex se nec præteritum nec supinum facit, mutuatum medicatus sum.

1 *Verba in or tertiæ coniugationis*, certa regula cõprehendi nequeunt. Passiua actiuorũ supina imitantur, ut lectus a um sum uel fui, scriptus a um fui. Arguor, conuictus sum, etiam argutus.

2 Deponentium item præterita & supina uarie efferuntur.

A *Amplector, complector, & circumplector, exus sum habent in præterito, exum in supino.*

Adipiscor & indipiscor Plautinũ eptus sum,

C eptum in supino. Comminiscor commentus, sum, & commentum.

D Defetiscor defessus sum, à uetusto uerbo fathiscor, authore Prisciano.

E Experior expertus sum, *expertum in supino.*

Expergiscor experrectus sum uel fui.

F Fũgor, defungor, perfungor, unctus sum & unctum *in supino*, inter cõmunia numeratur.

Fruor fructus & fruitus sum, quin & fretus. Cõposita defruor, perfruor. Fruiscor ex se præteritum non format.

G Gradior cum sua compositorum cohorte gressus sum habet, adgredior, cõgredior, digredior, egredior, ingredior, introgredior, progredior, prætergredior, regredior, supergredior, transgredior.

Irascor

Iraſcor & ſubiraſcor, atus ſum uel fui. I

Labor lapſus ſum, & inde nata Allabor, col- L
labor, delabor, dilabor, elabor, illabor, præla-
bor, præterlabor, perlabor, prolabor, relabor,
ſublabor, penult. longa.

Loquor locutus ſum, ſic cõpoſita alloquor,
colloquor, eloquor, interloquor, obloquor,
proloquor, penultima breui.

Morior mortuus ſum, ſic compoſita commo M
rior, demorior, emorior, intermorior, præmo-
rior, ſupina deſyderant. Ouid. Meta. 14. fab. 7.
Cupidusq; moriri.

Naſcor & eius compoſita annaſcor, conna- N
ſcor, enaſcor, innaſcor, pronaſcor, renaſcor, ſub-
naſcor, natus ſum in præterito, natũ in ſupino.

Nitor niſus ſum uel nixus, cum ſuis compoſi
tis ad ſiue annitor, connitor, enitor, innitor, ob-
nitor, renitor, ſubnitor, penult. longa. (cio.

Nãciſcor, nactus ſum, à uerbo obſoleto nan-

Obliuiſcor oblitus ſum, penultima longa. O

Orior (præter oriris & oriri, nihil quartę clas
ſis habet) ortus ſum, ſic eius compoſita aborior.
adorior, coorior, exorior, oborior, ſuborior.

Patior paſſus ſum, ſic compatior. Perpetior P
uero perpeſſus ſum.

Proficiſcor profectus ſum in præterito.

Paciſcor pactus ſum, pactum in ſupino.

Queror queſtus ſum, & cõpoſitũ cõqueror. Q

Reor ratus ſum, prima breui, ſecundi con- R
iugatus.

S Sequor sequutus siue secutus sum, sic eius composita, assequor, consequor, exequor, insequor, obsequor, persequor, prosequor, penultima correpta.

V Vlciscor ultus sum in præterito, ultum in supino.

Vtor usus sum, olim commune: sic abutor, coutor.

Vescor, liquor, reminiscor, ex se præterita nõ gignunt. Phocas adscititia illis tribuit, pastus sum, liquefactus, recordatus sum. Hic obiter notabis, quoties de cibi genere loquimur Vesci elegantius esse quàm edere. Author D. Eras. ad Roma. 14.

Vertor quidam deponens esse asserunt in illo Vergiliano carmine Aen. 2. Vertitur interea cœlum, & ruit Oceano nox. Vnde diuertor diuerti, reuertor reuersus sum, & reuerti, præuertor præuerti.

1 *Verba in or quartæ classis itus sum* habent in præteritis, & itum in supinis penult. Ion. iuxta huius cõiugationis analogiam, ut auditus sum.

2 Sic deponẽtia illa, molior, partior, mentior, blandior, sortior, potior, cum eorum compositis. Non semel legis apud poẽtas potitur penultima correpta. Ouid.

Heros Aesonius potitur, &c. Meta. 7.

Hæc sequentia analogiæ rationem fugiunt, ordior pro texo, orditus, p incepto, orsus sum, exordior exorsus sum, comperior cõperi, operior

rior opertus sum, metior mẽsus sum, sic comp. dimetior, remetior. Assentior assensus sum. Ita passiua quoq; uariant pro supini actiuorum ratione, ut sepelior sepultus, uincior uinctus sum, fulcior fultus sum, &c. Hæc communia sunt, largior largitus sum, ita dilargior & elargior, experior expertus sum.

Diomedes lib. 1. de impersonalibus uerbis in calce, Prisc. lib. 8. de uerborum diathesi, Fab. lib. 9. cap. 3. in fronte. D. Eras. lib. de Cop. uerb. 1. cap. 13. de Enallage generis, recenset uerba, quæ eodem sensu tam o quàm or admittunt, ut assentio & or, impertio & or, numero & or, stabulo & or, palpo & or, partio & or, &c. Tu in his eruditorum consensum obseruato.

DE VERBIS ET ACTIVAE & passiuæ uocis præte. formantibus.

Hæc uerba, quod regis sui partes in bello Grammatico oppido perquàm strenuè defenderint, hoc donatiuo condecorata sunt, ut uidelicet posthac duplici paludamento & actiuo & passiuo præterito uterentur.

Cœno aui & atus sum, sic iuro & titubo, poto potaui & potus sum, careo carui & cassus sum, prãdeo prandi & prãsus sum, pateo patui & passus, placeo placui & placitus sum, suesco eui & etus sum. Veneo uenij & uenditus sum, nubo nupsi & nupta sum, mereor merui & meritus. Libet libuit & libitum est, sic licet, piget, pudet, tædet tæduit & prætesum est,

Vtimur autem his passiuæ uocis præteritis uice Græci ἀορίστῳ actiui, ut cœnatus abiit cubitũ, id est cum cœnauit, ὁ δ' δειπνήσας. Iuratus ὁ ὀμόσας qui iurauit, &c. Hæc præterita interim & passiue significant. Luc.

Prisca manent mihi per Latiũ iurata tonantem.

Potus actiue. Ouidius in Fastis,

Atq; semẽ potũ, pota trahebat anus. Passiue. Idẽ,

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ, &c.

NEVTROPASSIVA.

Neutropassiuum est, quod sub uoce neutrali præteritum passiuæ uocis usurpat, ut sunt, gaudeo gauisus sum, fido fisus sum, audeo ausus sum, fio factus sum, soleo solitus sum. Addunt mœreo mœstus sum.

NEVTRALIA PASSIVA.

Neutrale passiuum est, quod cũ uoce sit neutrum passionis significationẽ gerit, qualia sunt, exulo, uapulo, ueneo, liceo. A Græcis αὐτοπαθητικὰ dicta.

DE VERBIS PRAETERITUM MUTUANTIBUS.

Inchoatiua uerba primigeniorum præterita adoptant, de quibus suprà.

Item cerno uidi, ferio percussi, meio minxi, etiam meṇ authore Diomede, fido sedi cum suis compositis, adfido, confido, infido, obfido, perfido, resido, subsidio penult. long. Tollo sustuli, sum fui, fero tuli à tulo, sisto steti pro stare, furo insaniui. Vescor, medeor, liquor, reminiscor, operior,

operior, deponentia, quèis de paulò ante. Licor licitatus sum.

DE VERBIS PRAETERITO CARENTIBUS.

Inceptiua uerba, nisi patrum præterita usurpent, præteritis carent, ut pueraſco.

Item passiua actiuorum quę supina non habent, ut metuor, timeor.

Præterita desyderatiua omnia, præter parturio & esurio. Apul. à nupturio nupturiſſe scriptum reliquit.

Postremo hæc polleo, nideo, uergeo, ambigo, aueo, gliſco, fathiſco.

DE VERBIS RARO SUPINUM admittentibus.

Hæc raro aut nunquam retinebunt uerba supinum. Quod ea, in bello inter Verbum & Nomen, nõ sine maxima utrarunq; copiarum clade gesto, interierint, angeo, aueo, arceo. Priſc. tamen lib. partitionum 8. arcitum arcitu format. Composita ab eo ercitum habent, ut coherceo cohercitum, exerceo exercitum, abarceo, simplex æmulatur. Compesco, conquiniſco, conniueo, quando conniui habet in præterito, cluo, caluo, diſpesco, diſco, dego, flaueo, frigeo, feruco. Gruo cum suis cõpositis, cõgruo, ingruo: incĭdo, & reliqua à cado composita, accido, cõcido, intercido, decido, excido, procido. Occasum tamen ab occido, inter media prælia belli, paulo ante memorati, beneficio noctis saluus

euasit, ac recasum à recido, uix secum traxit. Vnde Cicero recasurum: recasura Suetonius dixit in Augusto, innuo & cætera à nuo composita, abnuo, renuo. Annuo tamen & innuo Priscianno ūtum habent. Lambo, lingo: linctum etiam legis apud Celsum & Plin. lib. 31. cap. 9. Multi tussim ueterem linctu salis discussere. Liueo, lin quo, composita eius, ut suprà dictū est, lictum habent. Luo, Claudianus luitura.

Vastato tandem pœnas luitura profundo.

De compositis suprà. Luceo, mico micui, mingo alij mictum, malo, metuo, nolo, posco, psallo, paueo, parco peperci. Plin. tamen lib. 33. cap. 4. Italiæ parcitum est uetere interdicto patrum. Hieronymus ad Heliodor. parciturus dixit. Quos D. Eras. (homo, ut ne amplius dicā, meliori sæculo dignissimus) ausus est sequi, cum scripsit, In bello nemini parcitum est. Rudo, scabo, fugo, quod tamen iuxta analogiam fuctum habere uidetur. Vnde nomen uerbale fuctus ein saugung. Satago, studeo, strido, sterto, tremo, timeo, uolo. Priscianus attribuit quibusdā ex his supina, de quibus supra. Præterea neutra secundæ coniugationis pleraque prēterita in ui formantia supinum desyderant; ut albeo, candeo, iaceo, stupeo, &c. Præter careo, caleo, doleo, lateo, noceo, oleo, placeo, pareo, pateo, taceo, ualeo, ut supra dictum est.

DE VERBIS DEFECTIVIS.

Verbum defectiuum est, quod in bello inter

Amo

Amo & Poëtam duos amplissimæ Grammaticorum prouinciæ reges maximos acerrimè gesto, non minima parte personarũ, modorum, temporum, ac numerorum spoliatum est. Hæc uerba cũ nominibus heteroclitis tanta animorum acerbitate manus conseruere, ut nisi coorta subitò tẽpestate, ingens superueniens aquarũ uis prælium tam atrox ac cruentum diremisset, actum sanè fuisset de uniuersis Grammaticę uiribus. Inter hæc uerba unum est, cui nomen

Aio.

Præsens indicatiui, Aio, ais, ait. Pluraliter aiunt. Præterito imperfecto, aiebam, bas, bat. Plural. aiebamus, batis, bant. D. Augustinus in præterito aisti & aistis utitur aliquoties. Imparat. aï. Neuius, An nata est sponsa prægnans, uel aï uel nega. Futuro optatiui, aias, aiat. Pluraliter, aiamus, aiant. Participium aiens. Cætera hostium gladijs cecidêre.

Ausim.

Hoc uerbũ effrenata usus audacia, fermè penitus interijt. Ex ipso enim conflictu præsens optandi, ac subiunctiui, & ipsum in altero numero mutilum, egrè se hostibus eripuit, Ausim, ausis, ausit. Pluraliter, ausint.

Aue. Salue. Vale.

Hæc uerba grandem commilitonũ suorum stragem accepêre, paucis conseruatis, quæ & nunc comparent, alios amisêre.

Imperatiuo, Aue, Salue, Vale. Futuro, aueto, ſalueto, ualeto. Pluraliter, auetote, ſaluetote, ualetote. Infinitiuus, auere, ſaluere, ualere. Cicero ad Atticum, lib. 6, epiſt. 2. Valebis igitur & ualere Pyliam & Cæciliam noſtram iubebis literis, & ſaluebis à meo Cicerone. Idem libro ſeptimo, epiſtola ſeptima, Alexim humaniſsimum puerum ſaluere iubeas uelim.

Idem li. 4. ep. 3. Auere te certe ſcio.

Cedo.

Imperatiuo, cedo. Pluraliter, cedite, pro dic, da ſiue porrige. Cedo dextram apud Terent. Lactan. Cedo igitur quid didiceris? Perſ. ſat. 2. Hoc cedo ut admouear templis & farre litabo.

Faxo.

Hoc uerbum ex gente actiuorum, omnibus ſuis manipularibus circa ſe trucidatis, cum quatuor fuga elapſus euaſit. Futuro indicãdi faxo, id eſt faciam. Perſ. ſat. 1. Hic ueto quiſquam faxit oletum. Vergilius,

Aeneid. 12.

Ego fœdera faxo. Verba Aeneæ.

Futuro optatiui, utinam faxim, faxis, faxit. Plural. faxint, id eſt faciam uel fecero.

Forem.

Huic etiam uerbo Tragicum malũ, ut aiunt, accidit: omnibus enim cõmilitonibus ſuis deſyderatis, Præſens optandi, & præt. imperfect. ſubiuncti. forem, es, et. Plural. forent: & infini. fore, id eſt, futurum eſſe, fuga ſalutem quæſierunt. Haud meliore fortuna huius familiæ com

poſita

posita usa sunt, ut afforem affore, proforẽ profore, conforem confore, deforem defore penult. breui. Vide Vallam lib. 1. cap. 26.

Quæso.

Præsens indicandi singulariter quæso. Plural. quæsumus. Præterito perfecto, quæsi & quæsiui, authore Probo, & quęsitum in supino. Ante bellũ integrũ erat, id quod Lucre. testatur, Ni diuûm pacem uotis adit & prece quæsit. Salustius Infinit, quæsere, authore Phoca.

Infit.

Hoc uerbum suis omnibus in pugna desyderatis, solius dei munere solum euasit, ac postmodum in Grammaticæ regno admodum rarenter in publicum prodijt, significans ait, dicit, seu dixit. Varro tamen infio usus est.

Inquio inquam.

Hoc uerbum de genere est neutrorum, conseruauit præsens indicandi, inquio uel inquam, inquis, inquit. Pluraliter inquiũt. Præt. perfect. inquisti, inquit. Futu. inquies & inquiet. Imperat. inque, apud Terẽtium in Phor. Futuro, inquito apud Plautum. Futuro optandi, inquiat. Reliquos suæ gentis commilitones bellum absumpsit. Inquiens cum in castris participiorum esset, periculo non interfuit.

Odi, Memini, Cœpi, Noui.

Hæc uerba ob rem strenuè actam & cladem acceptam, duplicem significationẽ & præteriti

& prçsentis sub præteriti uoce ab rege Amo accipere meruerunt, & per tempora quæ à præterito ueniunt inflectuntur, ut memini, meminera m, meminissem, meminerim, meminero, meminisse. Sic, odi, oderam, odissem, oderim, odero, odisse, &c. Porrò memini, quod regi suo à memoria fuit, præ alijs duas personas in imperandi modo obtinuit. Singulariter, memento. Pluraliter, mementote. Ex odi osor & osus & osurus habentur. Hoc uerbum ab Eccleſiast. ceu integrum usurpatur, ut odio, odis, &c. odiui, odire, &c. Cœpi ab antiquo cœpio relictum habemus, quo Plautus utitur in Mençch. & Cato. Vnde participium cœptus.

Sunt etiam defectiua Comicis olim in usu, nobis obsoleta, ut sultis pro si uultis, sis pro si uis, capsis pro cape si uis, sodes si audes, uidesis uide si uis, capesis cape si uis, cauesis caue si uis.

Sunt præterea quçdam defectiua, quæ diphthera antiquiora esse uidẽtur, ut excesis pro excedas, irritasis pro irrites, prohibesis pro prohibeas, locasim pro locem, taxis pro tangas, danunt dent, perduint perdant, leuasso leuo, duis des, duit det, creduis credas, supplicasis supplices, negasis neges, seruasis serues, &c.

DE ANOMALIS PARIter & defectiuis.

Verbum anomalum est, quod nullius coniugationis analogiam per omnia sequitur. Inter hæc

hæc anomala quædam in bello Gram. nonnihil impedimentorum amiserunt.

Edo.

Præsens indicandi, Edo, es, est. Pluraliter, edĭmus, ĭtis, edunt. Cõiugatur et analogicôs, edo, edis, edit, &c. Præteritum imperfectũ, edebam, analogicè. Perfectum, edi, edisti, &c. Plusquamperfectũ, ederam, as, &c. Futuro edam, es, et, &c. Imperat. es, edat. Plural. edamus, este, edant. Futu. esto tu, esto ille. Plural. edamus, estote, edunto. Optat. utinam essem & ederem analogicè. Præt. edissem, &c. Futu. edam, &c. Coniunctiuo, cum edam, &c. Imperfecto, cum essem. &c. Perfecto, cum ederim, &c. Plusquamperfecto, cum edissem, &c. Futuro cum edero, &c. Infinitiuo, esse & edere. Præte. edisse. Futuro, esum ire & esurũ esse. Gerundia, edendi, do, dum. Ouid. lib. de art. aman. 3.

Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi,
Ora nec immunda tota perunge manu.
Néue diu præsume dapes, sed desine citra
Quam cupias paulo, quã potes esse minus.

Supina esum, esu. Participia duo, edẽs, futurum esurus. Composita eius sunt, ambĕdo, comĕdo, obĕdo, perĕdo, penult. breui.

Malo.

Præs. indic. Malo, mauis, mauult. Plural. malumus, mauultis, malunt. Præter. imperfect. ma

lueram, &c. Futur. magis uolam, &c. In Imperatiuo malis tu, malit ille. Optatiuo utinã mallem &c. Præterito maluissem &c. Futuro malim &c. Subiunctiuo cum malim &c. Imperfecto cũ mallem &c. Perfecto cũ maluerim &c. Plusquamperfecto cum maluissem &c. Futuro cum maluero &c. Infinitiuo præsenti malle, præterito maluisse. Cætera prælium absumpsit, nec participium habet ullum.

Nolo.

Indicatiuo, Nolo, non uis, non uult: plurali. nolumus, non uultis, nolunt: præterito imperfecto nolebam &c. perfecto nolui &c. pluſquã perfecto nolueram &c. futuro non uolam, &c. Imperatiuo noli, nolit: plural. nolimus nolite nolint. Modo optandi, utinam nollem, &c. prę terito utinam noluissem &c. Futuro utinam nolim &c. Modo subiunctiuo cum nolim &c. imperfecto cum nollem &c. perfecto cum noluerim &c. pluſquamperfecto cum noluissem &c. futur. cum noluero &c. Infinitiuo nolle: pręterito noluisse. Per cætera caret. Participiũ unum habet nolens.

Fio.

Facio in conflictu grammatico orbatus fuit filio ſuo facior, ut ſupra dictum eſt, qui tamen priuſquã efflaret animã, militari teſtamẽto hæredem ſibi inſtituit, fio, huius cõiugatio ſic habet.

Indicatiuo fio fis fit, pluraliter fimus fitis fiũt: præte-

præterito imperfecto fiebam &c. perfecto factus sum à facior: plusquamperfecto factus eram &c. futuro fiam, es, et, ut legam. Imperatiuo fi, fiat, pluraliter, fiamus fite fiant: futuro fito tu & ille, plural. fiamus fitote fiunto. Optatiuo utinam fierem &c. præterito utinam factus essem &c. futuro utinam fiam &c. Coniunctiuo cum fiam &c. præterito imperfecto cum fierem &c. perfecto cũ factus sim uel fuerim &c. plusquamperfecto cum factus essem uel fuissem &c. futuro cũ factus ero uel fuero &c. Infinitiuo fieri, præterito factum esse uel fuisse, futuro factum iri. Calones cũ impedimentis è media pugna elapsus in castris reliquit. Quidam tamen miles gregarius asserit, Gerundia faciendi do, dum, & supina factum factu, uti & participia factus & faciẽdus, illi à facior ex testamento obuenisse.

DE VERBIS IMPERsonalibus.

Verbum impersonale est, quod coniugando nec numeros nec personas discriminat, sed casu tertiæ personæ uerbi & numeros & personas omnes complectitur. Sunt autem impersonalia duplicia, alia actiuæ uocis in t, alia passiuæ in tur, ut iuuat, amatur.

Impersonalia actiuæ uocis in certo numero sunt, certamq; personam utriusq; numeri ex adiunctis accipiunt, ut me, te, illum, nos, uos, illos iuuat. Sunt autem in At primæ cõiugatio-

nis ut iuuat, uacat. In Et secundæ, ut licet, decet. In It alia tertiæ, ut contingit, accidit: alia quartæ, ut conuĕnit, euĕnit.

In his personalia, à quibus nasci uidĕtur, considerandæ sunt: nam ferè omnia, teste Capro, subscribente Linacro, integrã perfectorum declinationem in usu ueterũ habere comperiũtur.

Præterita personalium suorum usurpant, ut iuuat, iuuit, præstat præstitit, euĕnit cuēnit, præter miseret & miserescit, quæ faciunt misertum est. Sunt etiam ex his quæ duplex præteritũ formant, quĕis de paulo ante dictum.

Verba hæc cane peius & angue supina uitãt, iuxta prouerbium, uti & futura imperandi & infiniti modi, ac item participia & Gerũdia. Legitur tamen pœnitens facti apud Terent. Sunt qui asserunt illis esse supina quibus præteritum est passiuum, ut placet, placitum, &c.

Impersonalia passiuæ uocis in tur exeũt, fiuntq; ab omnibus uerbis actiuis & neutris, ut legitur, uiuitur. Germanis in frequĕti sunt usu, sic enim efferunt, scribitur *mã schrybt* oder wirt geschriben, docetur *man leert*, auditur man hört. Cũ absolute ponuntur, ad omnem personam & numerum indifferenter accipi possunt, ut statur, cũ per se pronunciatur, pro eo quod est sto, stas, stat, sed & stamus, statis, stant, prout conditio materiæ postulat.

Hæc impersonalia in his temporibus, quę periphrasi explicantur, participia sub neutro dun

taxat

taxat genere usurpant, ut reclamatum est, conclamatum est, itum est, auditum est.

DE PARTICIPIO.

PARTICIPIVM est pars orationis, flexilis, partem capiens nominis partemq; uerbi. Capit enim à nomine genera & casus: à uerbo tẽpora & significationes: ab utroq; numerum & figuram. Et hæc unica causa est, cur neutri se parti in bello addicere uoluerit, quod uidelicet suæ ditionis pomeria ab utraq; precario acceperit.

Pars illa tum breuitati, tum elegantiæ ancillatur. Breuius enim ac ornatius dictum est, Furor fit læsa sæpius patientia: quàm si dixeris, Patientia si sæpe tentetur ac lædatur, furor fit. Item dormiens stertit, amans desipit. Perottus & Curius, etiam necessitatis causa hanc partem inuẽtam esse asserunt. Quibus Valla lib. 1. ca. 32. adsti pulari uidetur, cum scribit: *Habet autem participium talem tantamq; nonnunquam gratiam, ut sine eo non sit Latina planè oratio.*

Participio sex accidunt, Genus, Casus, Tempus, Significatio, Numerus & Figura.

Genera participiorum quatuor sunt. Masculinum, ut lectus. Fœmininum, ut lecta. Neutrũ, ut lectum. Commune trium, ut legens. Commune duum separate non legitur, nisi in accusatiuo utriusq; numeri, & nominatiuo & uocandi casu plurali à participijs in ns.

Casus participiorum ijdem, qui in nomine. Eo participium nominatiui casus in ns, in simplici non habet, nõ enim dicimus iens, sed euntis, eunti, sed composita abiens abeuntis, rediens redeuntis.

Terminationes participiorum sunt septẽ, ans, ens, tus, sus, xus, rus, dus.

Tempora participiorum sunt tria. Præsens in ans & ens. Præteritum in tus, sus, xus. Futurum in rus & dus.

Significationes participiorum secundum uerborũ genera, quinq; sunt, Actiua, Passiua, Neutra, Deponens & Communis.

Ab actiuo uerbo duo ueniunt participia, prẽsens in ns, ut amans, docens: futurum in rus, ut lecturus.

A passiuo uerbo tria, præsens & futurum in dus, præteritum in tus, sus, xus. Quod autẽ participia passiua præsens habeant Thomas Linacer multis sanè argumentis haud obscure comprobare uidetur, libro de emendata structura Latini sermonis primo. Satis hic sit unum atq; alterum exemplum in mediũ proferre. Cic. li. off. 1. in fronte, Orationem Latinam legendis nostris efficies profecto pleniorem. Legendis ueteribus proficis, id est dum ueteres leguntur. Defringendo ramo, id est dum defringitur, Cic. Exercenda est memoria ediscendis ad uerbum quamplurimis scriptis & nostris & alienis, &c.

A Neutro duo ueniunt participia, prẽsens in

ns,

ns, ut ſtans, ſedens, & futurum in rus, ſtaturus ſeſſurus: fiunt & à neutris paſsiua participia, præcipuè tamen ab his quorum tertiæ perſonæ utriuſque numeri paſsiue uſurpãtur, ut aruum aratur, arua arantur, unde aratus & arandus. Verg. Aen. 1. Sic arte laboratæ ueſtes. & Aen. 3. Errata littora. Terent. in Adel. Decurſo ſpacio. Præterea illa, cœno cœnatus, placeo placitus, mereo meritus, pateo paſſus, prandeo pranſus, careo caſſus, poto potus, titubo titubatus & neutro paſsiua gaudeo gauiſus, &c.

A Deponenti tria naſcuntur participia, præſens, præteritum & futurum, ut loquens, locutus & locuturus. In his ſunt quibus eſt futurum in dus, quod uidelicet olim communia fuerint, ut ſequendus, utendus, patiendus, loquendus, obliuiſcendus &c. Sunt etiam participia præteriti temporis deponentium, quæ modo actiue, modo paſsiue ſignificãt. Ver. Non oblita mihi tot carmina. Terent. Medita ſunt mihi omnia mea incommoda. Verg. Mentitaq; tela agnoſcunt, & modulatum carmen. Verg. Aen. 3. Cõiugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo, id eſt digne habite, interprete Seruio, quæ olim communia fuerunt.

A Cõmuni quatuor ueniunt participia, præſens, præteritum & duo futura, ut criminans, criminatus, criminaturus et criminandus. Sunt & participia citra uerbi originem, græcè ἀδιάφορα dici poſſunt, ut exoſus peroſus.

Ab Impersonalibus nulla extant participia, prꝛter pœnitens, pœnitendus, pudendus, pertꝛsus, decens, libens. Eras. in Paraph. Lucæ 18. Publicanus adeo pudens erat pœnitens q̃ sui.

Quæ participia præteriti temporis actiue significent, & contra præsentis temporis passionem, Valla examussatim recensetlib. 1. cap. 30. Linacer lib. 1.

Modus deriuationis Participiorum.

Participia in ns fiunt à secunda persona uerborum primæ & secundæ coniugationis præposita n literæ s, ut amas amans, doces docens. In tertia & quarta à prima persona formantur o in ens mutata, ut lego legens, audio audiens.

Participia in tus, sus, xus, præteriti temporis à posteriore supino formantur s litera adiecta, ut lectu lectus, uisus, flexus.

Participia futuri temporis in rus & ipsa à posteriore supino fiunt, addita rus, ut lecturus, sessurus, arguturus & arguiturus, teste Prisciano.

Participia præsentis temporis uerbi passiui & futuri in dus, formantur à genitiuo participij præsentis temporis, tis in dus uersa, ut amantis amandus.

Defectus & anomalia Participiorum.

Verba supina non habentia, participijs quoque ab his formatis carebunt, ut sunt disco, metuo, posco, tremo, linquo: de quibus suprà.

Sunt præterea plura uerba, quæ tametsi supi-

na

na habeant, participio tamen futuro deficiunt, ut cano, iuuo, neco, alo altum, cresco, soleo, obliuiscor, & fortassis alia, quæ ex eruditorum lectione expiscanda sunt. A doleo tamen, ualeo, careo, & caleo, doliturus, ualiturus, cariturus.

Ouid. Meta. 13.

Des calituras q; ignibus aras.

Sunt quę ἀνωμάλως formantur, ut sunt pariturus, oriturus, nasciturus, moriturus & sonaturus: addunt quidam nosciturus, Intonatus etiã non intonitus.

Horat, in Epodo, Eois intonata fluctibus.

Participiorum in nomina transitus.

Participia in uim nominis transeũt quatuor modis. Primo cum temporis rationẽ amittunt, ut hic doctus laudatur. Secundo cõstructione, cum uidelicet alienum à suo uerbo casum admittit, ut fugitans litium. Tertio comparatione, ubi etiam tempus amittitur. Quarto compositione, quando participium præpositioni coniungitur, quæ uerbo accommodari nequit, innocens, indoctus, insolens, inultus, &c.

Nomina faciem Participiorum habentia.

Astutus, annulatus, barbatus, baccatus, braccatus, bullatus, capillatus, caligat⁹, comatus, cristatus, ceritus, cornutus, crinitus, galeatus, gemmatus, hirsutus, hastatus, literatus, laruatus, loricatus, limatus, manuleatus, miniatus, ocreatus, obæratus, pileatus, penulatus, paludatus,

Quasi cereritus, id est, Cereris indignatione ac ira uexatus, vnsinnig.

personatus, prætextatus, scutatus, soleatus, stellatus, tunicatus, togatus, turritus, & id genus alia, quæ ad hunc modum per onomatopœiam effingi possunt.

Quæ & Participia & Participialia.

Porrò hæc eisq; similia & participia & participialia nomina esse possunt, ut armatus, doctus, sanctus, acutus, argutus, sapiens, monitus, iudicatus, factum, dictū, uisum, legendus, amandus, armatura, scriptura, usura, litura, statura. *Politian. lib. 5. epi. 10. Quæ ego in tuis poëmatis audacter contra ueteres statura deprehenderim, &c.*

Numerus participijs accedit uterque. *Singularis* & Pluralis.

Figuræ participiorum sunt duæ. Simplex, ut spirans. Decomposita, ut respirans. Nam nulla sunt participia composita, nisi ex uerbis compositis.

Participia in ns sunt *tertij declinatus*. In tus, sus, xus, rus & dus, *secundi in mas. & neutro. In fœminino primæ declinationis.*

DE GERVNDIIS.

Gerundium ueteres participiale uerbum uel gerundi modum appellarūt. Sic dictum, quod dubiæ uocis ac significationis inuolucra gerat: quandoq; enim actiue, quandoq; passiue significat. Vel potius à gerendo, nã duo gerūt, casum scilicet nominis in uoce tantum, & uerbi significationẽ in sensu, sine modis tamẽ & tẽporibus.

Porrò

Porrò Gerundia, uti participia, à nomine genus & casum, à uerbo agendi uel patiendi uel neutrius cuiusdam notæ significationem mutuantur. Et quia temporum discrimen discretis uocibus non recipiunt, nec certos numeros & personas, sicuti participia, iusta esse participia non possunt, teste Linacro. Vocentur igitur recepto nomine Participialia quidem, quod similia participijs sunt, sicut prouerbialia dicimus, quæ similia sunt prouerbijs. Participialia uero uerba, ut discernantur à participialibus nominibus, quêis de mox.

Horum terminationes sunt, di, do, dum. Di genitiui est. Do datiui & auferendi casus. Dum nominatiui & accusatiui terminatio est genere duntaxat neutro. Reliqua in Syntaxi.

DE SVPINIS.

Supina & ipsa participialia uerba dicuntur, omniaq; cum gerundijs cõmuia habẽt. Priora supina accusatiui casus sunt. Posteriora ablatiui. *De quibus in constructione.*

PARTICIPIALIA NOMINA.

Participialia nomina uocant *participia* ipsa, quoties à propria significatione, qua rem uerbi cum tempore, casu & constructione significant, mutata sunt.

Fiunt autẽ ex præsentibus actiuæ uocis participialia nomina in ns. Alia quidam masculini generis: alia uero fœminini: quædam etiã neutri, quêis de in genere nominum in ns ter-

minatorum. Sunt & alia communis generis, quoties scilicet pro uerbalibus in tor, uel trix usurpantur ac genitiuis iunguntur. De quibus in Syntaxi genitiui.

Ex præteritis autem passiuis, cũ in uoce passiua actionem significant, ut circumspectus, cõsideratus, disertus, cautus, turus, ignotus, argutus, falsus, contentus, tacitus, profusus, fluxus, scitus. Quæ omnia, nisi sic significent, participia manent. Vide Val. lib. 1. cap. 30.

Ex futuris in rus fit participiale nomẽ, quoties (ut Vallæ placet lib. 1. cap. 33.) non tempus innuit, sed qualitatem atq; animi uoluntatem, ut in illo Senecæ, Nullam autem mentionem fecit cometarum, non prætermissurus, si quid explorati apud illos habuisset, pro eo quod est, talis qui prætermitteret. Vide etiam Linacrum li. 1. de participiali uerbo, qui hæc futura cum animi uoluntatem significant, per debens, uolens uel potens interpretanda censet: non prætermissurus, id est, non debens aut uolens prætermittere. Ioãnes Despauterius Niniuita refragatur.

Ex futuro in dus fit participiale nomẽ, quoties & prædicto modo est interpretandum, & Græce per ea, quæ apud illos in τος finiuntur, est uertendum, ut si illud Senecæ in passiuam uocẽ sic mutes, Nullam fecit cometarum mentionẽ, non prætermittendam si quid explorati apud illos comperisset, id est non debentem prætermitti. Et Græce ad uerbum ὃ παραπεμπτέον. Terent.

Efficiunda

Eijciunda est hercle hæc animi mollities, id est, debet eijci. Val. lib. 1. cap. 33. sic uertit, Amandus dignus amari, colendus dignus coli. Prisc. lib. 8. de Temporib. uerborum, ut amandus, a, um, id est, dignus qui, quæ, quod ametur. Virtus est amanda, id est, digna quę ametur. Idē in eodem de modis uerborum sic scriptū reliquit, Amandus, u, um, qui, quæ, quod debet amari.

Hæc igitur in dus cum temporibus participia sunt, absque ijs nomina. Prisc. lib. 11.

Porrò hoc participiale in dus, nonnunquam eodem in loco & participiale esse potest & participium, ut in illo Iuuen. Sat. 4. Ecce iterū Crispinus adest, mihi sæpe uocandus Ad partes. Licet enim interpreteris, uel qui sæpe à me uocari debet ad partes, propter uaria uicia, uel qui sæpe à me uocabitur.

DE ADVERBIO.

ADVERBIVM est pars orationis *inflexilis*, quæ adiecta uerbo sensum eius perficit atque explanat. Aduerbium dictum, quasi aduerbum, quod sine eo uerbum, perfectum & explanatum sensum non habeat, ut scribit perperam, legit clarè, disputat obscurè.

Aduerbio accidunt tria, *Species*, *Significatio*, Figura. Nonnullis etiam Comparatio.

SPECIES.

Aduerbiorum quædā Principalia, quę uidelicet suæ sunt positionis & à seipsis originē habent, ut heri, cras, sępe, nō, ita, cur, ceu, &c. Quę-

dam Deriuata, quæ aliunde originem trahunt; aut à nomine, ut Homericè, hostiatim, durè &c. aut à pronomine, ut meatim, id est, meo more: aut à uerbo, ut cursim, strictim: aut à nomine & uerbo, ut, pedetentim à pede & tento: aut denique à participio, ut indulgenter, potenter, sapiēter. Sunt & incertæ originis, ut furtim, quod & à fure & à furor uerbo deduci potest. Sunt etiam Diminutiua aduerbia, ut clanculum, meliuscule, belle.

SIGNIFICATIO.

Significatiōis aduerbiorū multa sunt genera.

Sunt enim aduerbia Localia, & ea quidem duplicia. Interrogādi, ut ubi, unde, quo, qua, quorsum, quousq;, & quæ ad ea redduntur.

Vbi. Vbi in loco significat. Redditiua eius sunt, hic, isthic, illic, ibi, intus, foris, ubiq;, utrobique, passim, usquā, nusquam, neutiquam. Itē supra, infra, subtus, extra, intra, cū in aduerbia migrāt.

Vnde. Eminus è loco remoto. Cominus è loco propinquo. Vnde de loco quærit. Redditiua eius sunt, hinc ab hinc, pro ab hoc loco, isthinc, illinc, inde, eminus, cominus, alicunde, undeunde, undequaque, undecunq;, indidem, id est ex eodem loco, undeuis, undelibet.

Quo. Quo ad locū significat. Redditiua eius sunt, huc, isthuc, illuc, eò, illò, aliquò, quoquo, quocunq;, intro, foras, usq;, quod absolutionem spacij tum in loco tum tempore significat, ut Tigurum usq;, usq; ad noctem, &c.

Quorsum Quorsum locum uersus denotat. Redditiua

eius

eius sunt, horsum, isthorsum, illorsum, prorsum, id est porro uersum gestrackts, rursum, quoquouersus, quaquauersus, pessum, sursum, deorsum, dextrorsum, læuorsum, &c.

M. Cato ca. 157. Adnasum admoueto & subducito sursum animum quàm plurimum poteris. Qua.

Qua per locum demonstrat. Redditiua eius, hac, isthac, illac, quaqua, quacũq;, aliqua, nequa, siqua, illa, &c.

Quousq;

Quousq;, significat usq; ad quod tempus, uel usq; ad quem locum. Redditiua, hucusq;, illucusq;, isthucusq;, eousq;, introusq;, &c.

Quædam aduerbia Localia pro temporalibus accipiuntur, non contra, ut inde pro deinde, ubi pro postquam, hic pro tunc. Etenim ut quædã coniunctiones in uarias migrãt potestates, ita aduerbia quædã in uarias significatiões.

Vltro & citro, nunc ad quo, nunc ad unde reddi possunt.

Aduerbia temporis.

Aduerbia tẽporis sunt duplicia. Interrogandi, ut quando, quandiu, quandudum, quampridem, quousq;, quoties, & quæ his redduntur.

Quando.

Ad quando redduntur, heri, hodie, cras, pridie, postridie, perendie, nudiustertius, nudiusquartus, quintus, sextus, septimus, & deinceps Vide Vallam lib. 2. cap. 33. Diu, noctu, interdiu, nunc, iam, nuper, aliquãdo, aliãs, olim, pridem, dudum, tum pro tunc, cui etiam addatur eius redditiuum quum, interim, interea, ab inter & ea, tum temporis tum loci, sero, tempori, serius, temporius. Columella lib. 2. cap. 18. Aus

Valla li. 2. cap. 34.

Eraſ. lib. 2. Epiſt. 7. Nemo temperius eo. i. celerius & quaſi ante tempus.

temporius aut ſerius: prius & poſterius, ſtatim, continuo, protinus, Val. lib. 2. cap. 30. illico, antehac, poſthac, commodum, primum, cum alijs, cum primum, quam primum, ut primum, Valla lib. 2. 17. eueſtigio, extemplo, actutum, repente, derepente, ſubito, ocyus.

Quandiu.

Ad quandiu redduntur, tantiſper, aliquantiſper, parumper, pauliſper. Valla *lib.* 2. cap. 48. ſemper, aſsiduè, æternum, ætatem, diu, iamdudum, iampridem, cum ſcilicet *præſenti* iungitur, *iamolim*. Val. lib. 2. cap. 34.

Iamolim ex multo tẽpore & adhuc.

Quoties.

Ad quoties redduntur, ſæpe, raro, ſubinde, identidem. Valla lib. 2. cap. 50. plærunq;, quotidie, quotannis, nunquam, toties, indies. Valla lib. 3. cap. 68. Item aduerbia numeralia, ſemel, bis, ter, quater, quinquies, ſexies, & ſic deinceps, millies, pluries, infinities, ſi modo legãtur apud idoneos ueterum.

Quouſq;

Ad Quouſq; reſpondentur, adhuc, etiam pro adhuc, hactenus, in diem, in horam, indies, in horas, Val. lib. 3. cap. 68. Quædam ex prædictis ad quandiu reſponderi poſſunt.

Aduerbia ordinis ſunt, inde, deinde, dehinc, deinceps, nouiſsime, poſtremo, imprimis, primũ, iamprimum, inuicem, uiciſsim pro ſecundo loco: deniq;, demum, tandem: quæ tria etiam ſermonis abſolutionem cum celeritate nonnunquam indicant, quorum uice interdum (breuiter q;) fungitur. Valla lib. 6. cap. 21.

Demum 1.

Omnino 1.

Omnino, in ſumma, ad ſummã. Val. li. 6. ca. 20.

Aduer

Aduerbia diuidendi siue diuisiua sunt, bifariã, trifariam, multifariam, aliquotfariam. Et quædam aduerbia in im, ut generatim, summatim, uiritim, membratim, domesticatim, uicatim, regionatim, oppidatim, prouinciatim, &c. Vide Val. lib. 6. cap. 20.

Aduerbia interrogandi sunt, cur, quare, quin pro cur non, quid ita, quia nam pro cur, quamobrem, quomodo, ecquid, quo pro ad quid, ad quem usum uel quã utilitatem. Hora. Quo mihi fortuna si non conceditur uti. Vnde, quantũ, quam pro quantum. Hæc aduerbia & infinitè usurpari possunt, ut Video cur uenias. Quam. Quantum.

Aduerbia infinita, tum uniuersalia tum particularia, ut quamlibet, quãtumcunq;, quantumlibet, quantumuis, & quãuis pro quantumuis.

Aduerbia uocandi, ut ô, eho, heus. Prisciano li. 12. & 15.

Respondendi, ut hen, hem.

Negandi, ut non, haud, nequaquam, ne pro non, parum pro non, uel nõ satis. Salustius, No bis ea res pro magnitudine parum comparata.

Respondendi affirmatiue, ut etiam, ita, quid ni, sic. Vide Vallam lib. 2. cap. 54. Linacrum lib. 6. de Syllepsi in calce, & Cornelium Crocum in Augiæ stabulo in fronte. Item Admodum apud Terentium in Phormione, actus 2. scen. 2. Maxime. Sic. 1.

Concedentis uel de opinione cedentis, ut quid isthuc licet, esto, sit sane. Valla lib. 2. cap. 27.

Affirmandi uel confirmationis, ut certe, profecto, sane, plane, prorsus, adeo, nempe, utiq;, ni- Adeo. 1.

mirum, scilicet, uidelicet, ilicet, næ: quidē, equidem, utraq; pro certe.

Iurandi, ut hercle, me hercule, pol, ædepol, castor, ecastor, diusfidius, mediusfidius.

Hortandi, ut eia, age, agite, agedum, agite dum, ehodum, sodes, sultis, amabo, amabo te.

Prohibendi, ut ne.

Sic 2. Præterquā in Politiano li 9. ep. 6 pro tantummodo uitur.

Optandi, ut utinam, si, osi, sisi, ut, o, sic.

Exclusionis siue solitudinis, tantum, solum, tantummodo, solummodo, duntaxat, modo, demum: ut, Ea demum uera est gloria, quam uirtus meretur.

Demum 2. Fronto.

Simul loco cū, Vnà cō gregationē demōstrat.

Congregandi, ut simul, unà, pariter, Valla li. 2. ca. 32. & 75. Vniuersim, coniunctim, collectim. Confinia sunt, uniuersaliter, generaliter, inuniuersum, intotum, generatim. Valla lib. 60. cap. 20. 33.

Generatim 2.

Negatæ solitudinis, non solum, non tantum, non modo, nedum, de quo Vall. lib. 2. cap. 18. & 31. 49.

Separandi, ut seorsum, segregatim, priuatim, egregie, speciatim, secreto, singillatim.

Diuersitatis, ut aliter, secus.

Eligendi, ut potius potissimum, imo & satius.

Qualitatis, ut docte, pulchre, fortiter, sapiēter.

Quantitatis, ut parū, minime, maxime, ad summum, summū, lōgissime, omnino pro ad summum, modicum, paululum, minimū, plurimū.

Omnino 2.

Quàm, & quātum 2.

Comparandi, ut magis, minus, maxime, minime, tam, quàm, tantùm, intantum, quantum, æque

æque & ac, cum in quantitate pro tam & quàm sumuntur.

Intendendi, ut ualde, perquam, longe, prorsus, penitus, omnino, magnopere, impensè, impendio, apprime: & aliquando bene, male, peius, pessime, admodũ, adeo pro ualde, & imprimis pro ualde. D. Eras. ait hæc aduerbia Epitasim significare. li. de Copia uerborum 1. cap. 41. Omnino 2. Adeo 2.

Remittendi, ut sensim, paulatim, pedetentim, uix, ægre.

Aduerbia rei non plane peractæ, ut penè, ferè, temere pro ferè. Valla lib. 2. cap. 49. D. Eras. lib. de Cop. uerb. 1. cap. 50. propemodum, tantum non, modo non.

Demonstrandi, ut en, ecce, & sic, *δεικτικὰ*: ut sic scribito. Sic. 5.

Explanandi siue declarandi, ut, id est, hoc est, siue pro id est, item Et pro id est.

Dubitandi, ut forsan, forsitan, fortassis fortasse, forsit, fors. Vsurpantur hæc ubi incertum est factáne res sit nec ne. Hora. Et fortassè Cupressum scis simulare.

Euentus, ut forte, fortuito, casu, forte fortuna. Vtimur his ubi factum quid indicatur, sed fortuito. Verg. Forte sub arguta consederat ilice Daphnis.

Personalia, ut mecum, tecum, secum, nobiscũ, uobiscum: sic dicta, quod certas personas includant: si modo hæc aduerbia sunt, &c.

Personalia (ut quibusdã placet) sunt, meatim,

tuatim, suatim, nostratim, uestratim, id est meo, tuo, suo, nostro, & uestro more, quibus additur humanitus, id est humano more. Plinius, Vrsi humanitus strati, id est more humano.

Sunt & aduerbia in itus penultima correpta quæ id ferè significant, quod ea quæ Græce in θεν desinunt, ut cœlitus, de siue à cœlo, Græce οὐρανόθεν, sic diuinitus, stirpitus, radicitus, funditus, antiquitus, id est ab antiquo, &c.

Similitudinis sunt, ita sic, itidem, sicut, sicuti, & ut. Quæ omnia in qualitate quæpiam conferunt. *Sicuti* quomodo & quemadmodum in ratione & modo. Huc pertinent, Quasi, ceu, tanquam, uelut, ueluti & uti. Valla tamen lib. 2. ca. 36. scribit, hęc imaginem potius exhibere. Item ut & uti generalia esse. Hæc & uoces & sensus coniungunt instar coniunctionum.

Figuræ aduerbiorum tres sunt. Simplex ut diu, Composita interdiu. Decomposita indocte, imprudenter.

Nomina non raro aduerbiorum uice funguntur. Verg. Georg. 1. Sole recens orto, toruũ clamat. Sallu. Ac deinde militiæ & domi gestas composui. Terent. Ruri se continebat. Idem, Quid tu Athenas insolens?

COMPARATIO.

Aduerbia, quæ à nominibus comparatiuis ueniunt, comparationem assumunt, ut docte, pulchre.

Positiuus duas literas terminales habet, r, & e ut

ut suauiter, humane. Comparatiuus in us exit, ut suauius. Superlatiuus in um & in e, ut suauissimum uel suauissime.

Composita cum per, sic comparabis, perdocte, multo uel longe doctius, quàm doctissime. Author Valla lib. 1. cap. 17.

DE PRAEPOSITIONE.

PRAEPOSITIO est pars orationis indeclinabilis, quę alijs orationis partibus uel appositione uel compositione præponitur.

Appositione, ut ad Kalẽdas Grẽcas *An Clausen binders abent.*

Compositione, ut adactum iusiurandum, Ex definitione apparet præpositiones alijs orationis partibus bifariam præponi, Appositione quidem, quando casibus præseruiunt, ut à furijs oriundus. Compositione uero, quando dictionibus coniunctæ easdem componunt, ac tum *prępositiones esse desinunt, uimq; eius partis assumunt cum qua componũtur.* Vel quando præpositio & uox *cui* præponitur unã orationis partem efficiunt, ut *Expertes inuidentiæ* Musarum fores. Exigit & à statuis farinas. Hæ significationem quandoq; perficiunt, ut perpetior, demiror, perfero. Interdũ minuunt, ut subrideo, subirascor. Interim mutant non modo significationem, ut desipio, uerum etiam coniugationem, ut reddo, abdo. Est quando iterationis significatum faciunt, ut resipisco, redeo.

Obseruatio.

Magna eruditorum pars huiusmodi figurâ Latinam, qua officium significaturi prępositionem et nomẽ cõplecti solemus, orationis complexionem esse censet, quare nomini genus & casum iuxta authorum exempla attribuere licebit, ut à pedibus meis, Rauenspurgi à pedibus, Tiguri à cõcionibus, Basileæ ab epistolis. Eras. epist. 7. lib. 3, Clarissimo Aegidio catholici regis à rationibus. Idẽ epist. 12. lib. 6. Quos à consilijs, quos ab officijs habeat. Idem epist. 29. lib. 6. Gerardo Nouimago episcopi Traiectini à secris. Idem epist. 33. li. 6. Thomas Linacrus à cura ualetudinis. Iacobus Banisius Cęsarię maiestatis à consilijs, lib. 6. epist. 34. Eodem modo per ablatiuum singularem loqui consueuerunt. Suetõ. in Aug. Tallo à manu crura effregit. Idẽ in Vespasiano, Cenidẽ Antoniæ libertam, & à manu reuocauit. Politian. li. 7. epist. ultima scripsit, Reprehendunt item quod Cotidie noster à manu scripserit, non quotidie. Ita dicimus, Est principi à memoria. In his usus authorum est obseruandus. Vide Nestorem.

*Prępositiones accusatiuo casui deseruientes tri*ginta sunt, ut ad, apud, ante, aduersus uel aduersum, cis, citra, circum, circa, circiter, contra, erga, extra, inter, intra, infra, iuxta, ob, penes, per, pone, post, prope, propter, præter, secundum, supra, secus, trans, usque, ultra, additur uersus.

Quin-

Quindecim sunt quæ ablatiuo seruiunt, ut à, ab, abs, absq; cum, coram, clam, de, è, ex, pro, præ, palam, sine, tenus. Veteres ante, circum & post, utriq; casui iungebant, Author Seruius.

Præpositiones ambiguæ sunt quatuor, In, sub, super & subter. Item clam & procul, ut quibusdam placet.

Præpositiones loquelares, quæ uidelicet nunquam apponuntur, sex sunt, di, dis, re, se, an siue am et con. Donat. inseparabiles uocat, quod extra compositionem non inueniantur, & à dictionibus nunquam separentur.

Præpositiones separatæ, suisq; casibus non adiunctæ, sine dubio aduerbiascunt.

Versus teste Valla lib. 2. cap. 8. cõtra naturam præpositionis semper postponitur, ut Germaniam uersus, Tigurum uersus: quod si alia præpositio præponitur, uersus postposita, migrat in aduerbium, ut etiam usq;, ut ad orientem uersus, ad occidentem usq;.

Tenus quoq; semper postponitur. Atq; in singulari cum ablatiuo, ut capulo tenus. In plurali uero cum genitiuo etiam, cum uidelicet res est gemina, aut numero singulari carẽs. Ver. Geor. 2. Et crurum tenus à mento palearia pendent. Cæl. Nam & illi rumores de comitijs transpadanorum Cumarum tenus caluerunt. Significat autẽ Tenus usq; ad, ut umbilico tenus, id est, usq; ad umbilicum. Aliquando etiam pro non ultra, ut gesit consulatum titulo tenus, id est nõ

Pers. sat. 6. Messe tenus propria uiue.

ultra quàm nomine consul fuit. Hæc Valla in eodem libro cap. 9.

DE CONIVNCTIONE.

CONIVNCTIO est pars orationis inflexilis, quæ uoces & clausulas in sermone apte coniungit.

Huius partis officium est, eas orationis partes in oratione connectere, quæ alioqui absq; illa uel posita uel subaudita simul coniungi non queunt.

Coniungit aũt bifariã, scilicet Vi & Ordine.

Vi quidem, cum res aliquas simul esse significat. Vel quando simplices uoces connectit: ut, Et pius & fortis fuit Aeneas.

Ordine uero quãdo consequentiam demonstrat. Vel cum commata, membra & periodos conglutinat: ut, Si quispiam ambulat, mouetur.

Coniunctioni accidunt tria, Potestas, Figura & Ordo.

Coniunctionis multæ sunt *species*: uel, ut ueteres locuti sunt, potestates.

Copulatiuæ sunt, quæ tam uerba quàm sensum copulant, ut sunt, &, q;, atq;, ac, quoq;, etiã, præterea, alioqui, item, itemq;, cum & tum, sed ubi cum præcedit, tum sequitur: nam ubi tum præcedit, aduerbia sunt temporis: item tum geminatũ, ut tum mane tum uesperi. Quinetiam sedet, superq;, insuper, adhoc, adhæc, ut quibusdam placet. Sallustius, Adhoc pleraq; tempore in uenando agere. Idem, Adhæc accedebat mu-

nifi-

nificentia animi, ingenij solertia. Vide Val. li. 2. cap. 5. Hoc amplius & his amplius, pro præterea. Fab. lib. 1. cap. 10. Hoc amplius: intro & intus loci aduerbia: eo tamen intus, & intro sum, soleciſmi sunt. Idem Fab. lib. 9. cap. 3. De figuris uerborum, His amplius apud eundem, scilicet Vergilium. Georg. 4.

Nam quis te iuuenum confidentiſsime, &c. Adeo quãdo corrigentis siue augentis nota est, pro imo, imo potius, uel etiam, coniunctione atq; præcedẽte. Simul pro & uel etiam. Huc referantur & horũ contraria, nec, neque, neu, neue. Adeo. 3.

Ex prædictis hæ quatuor, &, q, nec, neq, cũ geminãtur, suspensiuę priori loco apte dici possunt, quod aliam eiusdem poteſtatis expectari faciant: uel affirmatiuã, ut & fugit & pugnat: uel negatiuam. Iuue. sat. 6. à fronte, Et lateri parcas, nec quantum iussit anheles.

Sunt ex his declaratiuæ, quæ uidelicet explanationem quandam præcedentium inferunt, ſicuti διασαφήσεως aduerbia, ut sunt, &, q. Grammatici illud Epexegesin uocant.

Diſcretiuæ sunt, quibus ea, quæ diſcreta intelligi uolumus, connectimus, ut sed, sedenim, at, ast, atqui, quidem, autem, uero, porro, quin pro sed, cæterum, uerum, uerum enim, uerum enim uero, quod cum si uel nisi. Ex his nonnullę copulatiuæ leguntur. Itaq; Priſciano etiam & Græcis inter copulatiuas numerantur, ut, quidem, autem, uero. Quin. Vide Vallam lib. 2. cap. 49. Gell. li. 17. cap. 13. Quod 1.

Disiunctiuæ sunt, quibus ea iungimus quorũ alterum, non utrunq; affirmamus, quales sunt, aut, uel, ue, siue, seu Hæc autem cum geminantur, suspensiuæ priori loco dici possunt, ut uel scribit uel dictat.

Causales siue rationis redditiuæ sunt, quibus id quod subnectitur rationẽ esse eius quod præcessit, significamus, ut nã, nanq;, enim, etenim quòd pro quia, præcipue post non, propterea quod, quippe, utpote, siquidem, ut pro utpote. Vide Val lib. 2. cap. 25 & 27.

Quod 2.

Continuatiuæ sunt (definitore Theodo. Gaza, lib. Grãmaticæ introductionis quarto) quæ consequentiam omnino, essentiam non nisi ex pacto significant, ut si, sin, ni, & aliquando quũ & siue, cum si & ue (ex quibus componi uidetur) significationem habet.

Quum. 1.

Subcontinuatiuæ sunt, quæ consequentiam rerum cum subsistentia significant: ut, Quoniam febricitas, cales. Eiusmodi sunt, quoniam, quia, quando, quatenus, postquam, cum pro postquam, antequam, priusquam, quandiu, quoad, & quod utrunq; horum significat donec & donicũ. M. Cato de re rust. Donicum in semen uideris ire.

Quum 2.

Multæ ex his cum postponuntur pro rationis redditiuis accipi possunt: ut, Salutem tibi debeo, quoniã tu me seruasti. Sunt & posteriora horũ supra inter aduerbia tẽporis collocata.

Definitiua est, quæ præcedentis uerbi significationem

cationē determinat, ut quod. Plinius, Gaudeo & gratulor quod Fusco Salinatori filiam tuam destinasti. Quod 3.

Perfectiuæ siue Absolutiuæ sunt, quas alicui fini perfectioniq; præponimus, sunt hæ, ut, uti, & quo pro ut, & qui pro ut, ne & ut pro ne nō. Terent. Sed uim patris ut queas ferre. Et ut ne pro ut non. Cicer. pro Milone. Opera datur, ut iudicia ne fiant. Et quatinus. Horat. lib. 1. sat. 1. Iubeas miserum esse, libenter quatinus id facit. Sunt qui hic quatinus pro quoniam, quia, quandoquidem exponunt, Acroni pro quandiu eo loci ponitur, ut etiam lib. car. 3. Od. 24. Quatinus heu nefas Virtutem incolumem odimus. Sunt etiam qui quatenus per e legunt, Libenter quatenus id facit, so verr oder dieweyl ers gern thůt.

Dubitatiuæ sunt, quas ibi adhibemus, ubi de duobus dubitamus, ut ne, an, an ne, num, nunquid, utrum, nec ne.

Collectiuæ siue *Illatiuæ* (*Priscianus* etiam Rationales appellat) sunt, quibus consequi aliquid ea, quæ præposita sunt, significamus, ut ergo, ideo, igitur, itaq;, idcirco, quare, quamobrem, quocirca, proinde, ideo, ideoq;. Et quod pro post quod: uel quare, propterea, & ea re. Cice. Ea re statim ad te Aristocritum misi. Quod 4.

Aduersatiuæ sunt, quibus nō obstare, nec impedimento esse, quod dicimus, significamus, ut etsi, quāquam, quamuis, licet, tametsi. Et reddi-

tiuæ earundem, tamen, attamen, sed tamen: licebit etiam pro quamuis. Ouid. Meta. 14. Non tamen effugies, uento rapiare licebit.

Electiuæ sunt, quas tum adhibemus, cum ex duobus propositis alterum præferre significamus, ut quàm & cum pro quàm ac & atque accipiuntur.

Diminutiuæ sunt, quæ id quod minus est, concedi dignum indicant, ut saltem, et cum at, certe, uel pro saltem accipiuntur: ut, Ne uel latum digitum cesit. Et in Eccles. prosa, *Si non* suis uatibus, credat uel gentilibus.

Expletiuæ sunt, quæ cum additæ uel detractæ nihilo plus aut minus efficiunt, ut enim in at enim. Cice. ad Q. fratrẽ, Atenim inter hos ipsos existunt graues controuersiæ. In sedenim, Ver. Aen. 1. Progeniem sedenim Troiano à sanguine duci Audierat. In enimuero, Teren. And. scen. 3. Act. 1. Enimuero Dáue nihil est loci segnitiæ neq; socordię. Et cum enim inchoat clausulam, Terent. Adel. scen. 1. act. 2. Enim non sinam. Et nam aliquando, Verg. Georg. 4. Nam quis te iuuenum confidentissime nostras Iussit adire domos?

Obseruabis continuatiuas & subcontinuatiuas sub causali potestate comprehendi posse, quod per has causa ostendatur reddi.

Inueniuntur etiam nomina, pronomina & aduerbia, quę loco causalium accipiuntur coniunctionum, ut qua causa, qua gratia: eò, ob id, ne

ue aduerbium, qñ ἵνα, μὴ significat. Ver. Aen. 2. Neu recipi portis aut duci in mœnia posſit.

Sunt etiam, ut Donatus affirmat, dictiones, quas incertũ eſt, utrum coniunctiones an præpoſitiones, an aduerbia nominemus, quæ tamẽ ſenſu facile diſcernuntur, ut cum, quoties caſui iungitur præpoſitio eſt: quando uero ſubiunctiuo modo præponitur, coniunctio: quoties pro quando ponitur, aduerbium. Cum, non unius partis orationis.

Porrò nemini Grammat. ſtudioſo mirum uideri debet, plura hoc loco temporis aduerbia coniunctionibus annumerata eſſe, cum & coniunctiones tenuiſsimo planè ab aduerbijs ſint diſcrimine, & ſæpenumero confundantur.

Poſtremo & illud memori mente teneto, ſæpe coniunctiones pro aliis cõiunctionibus poſitas inueniri poteſtate mutata, author Donatus & poſt eum Priſcianus, ut quæ modo copulatiua, modo completiua: Ac & atque nõ modo pro &, ſed etiam pro quàm nõ raro ponuntur.

Figuræ coniunctionum duæ ſunt. *Simplex*, ut nam. *Compoſita*, ut nanque.

Ordo coniunctionum triplex eſt, Præpoſitiuus, Subiunctiuus, & Communis. Hic tametſi omnibus penè orationis partibus communis eſt, Grammatici tamen ſolis coniunctionibus dare ſolent, quod in his præcipuè certus ordo ſitusq; obſeruari debeat.

Præpoſitiui ordinis eſt, quæ in orationis contextu præponitur, ut ſunt, ac, ãr, aſt, atq;, &, aut,

uel, nec, neq, si, quin, quatenus, sin, seu, siue, nisi. Ni principalis dicitur si in orationis principio ponitur, per anastrophen tamen interim postponitur. Coniunctio ergo præpositiui ordinis dicitur, quando geminata ante singulas partes quas connectit, ponitur: & simplex duntaxat ante secundam partem coniunctam.

Subiunctiui ordinis coniunctio ea est, quæ in orationis serie semper subiungitur, ut sunt quidem, quoq, autem, uero, enim, & tres Encliticę, quę, ne, ue. Inclinatiuæ coniunctiones dictæ, quod prçcedentis syllabæ accentum ad se inclinent, ut Pedesq manusq, putásne. Sudibúsue præustis.

Communis ordinis est, quæ tum præponi tum supponi in orationis situ potest, ut cæterę à prædictis ferè omnes.

DE INTERIECTIONE.

INTERIECTIO est pars orationis inflexilis, quæ sub rudi inconditaq uoce affectum animi demonstrat. Ob id plæræque communes sunt naturaliter omnium gentium uoces. Priscia. lib. 15. in calce asserit, hanc orationis partem ideo ab aduerbio separatam, quod uideatur in sese affectum animi habere, & plenam motus animi significationem, etiam si uerbum non addatur, demonstrare: quod certe aduerbia non faciunt, ut quæ consistere sine uerbo, præter admodum pauca, non possunt. Interiectio

ctio dicta, quod alijs orationis partib. interij-ciatur. Adfectus ipse declarat, quæ uoces interiectiones haberi debeant. Quicquid enim animi impetus oratiõi inseruerit, quo detracto sensus sit integer, Interiectionem appelles licebit.

Tot igitur sunt interiectionum significationes, teste Aug. quot sunt perturbati animi motus. *Exultantis* uel Lętitię, ut euax, uah, o. *Dolẽtis* uel Lugentis, ut heu, hei, hoi, ô, ah. *Timentis*, ut hei, atat. *Admirantis*, ut pape. *Vitantis*, ut apage, apagesis. *Laudantis*, ut euge. *Vocantis* sub incondita uoce, ut eho, oh, io. *Silentium* iniungentis, ut au, si, st. *Deridentis*, uel Ironię, ut hui. *Ex improuiso* aliquid deprehendentis, ut atat. *Ridentis*, ut hahahe. *Exclamantis*, ut o, proh, proh nefas. *Approbantis*, ut a bene omnia. *Improbantis*, ut heu indignum facinus. *Affirmantis*, ut fas. *Negantis*, ut nefas. *Indignantis*, ut uah, hem.

In confesso est nomina quoq; & uerba quandoq; loco *interiectionis* poni. Verg. Aeneid. 1. *Nauibus (infandum) amissis, Vnius ob*, &c. Cice. in epist. *Sed amabo te cura.*

HACTENVS de Orthographia, Prosodia, ac item Etymologia, tribus Gram. artis partibus, quàm breuissime potuit, dictum est. Restat ut quartam eius partem, Syntaxim uidelicet, prosequamur, quam quoad licet ad cõpendium conferamus.

DE CONSTRVCTIONE.

Syntaxis.



YNTAXIS (Latine Constructio) est debita & ordinata partium orationis inter se cõpositio, sicuti recta Latinitatis ratio exigit.

Latinitas.

Est autem Latinitas (finitore Mario Victorino) obseruatio incorrupte loquendi secũdum Romanam linguam. Et hæc tribus constat, Ratione secundum technicos, id est artium traditores: Authoritate, ueterum scilicet lectione, & Consuetudine, quæ doctorum modo loquendi usu placita assumptaq; sunt.

Cõsuetudo

Vide Hadrianũ Cardinalem.

Vnde consuetudo nihil aliud est quàm eruditorum consensus, illorum maxime, qui perfecto Latinorum tempore uixerunt, ut est M. T. Cicero cum suis æqualibus ac coætaneis, quicq posterioribus sæculis illorum uestigia insecuti sunt.

Porrò Syntaxis apud Græcos significat, non quæ temere cõgesta, sed rite ac ordine quodam composita digestaq; sunt, à uerbo σωτάττω siue σωτάσσω, id est, ordino ac recte cõpono, coniungo siue construo.

Huic postremæ Grammatices parti subijcitur Oratio, ut materia ipsius Syntaxeos.

Est autem Oratio, dictionum apta compositione ordinatarum comprehensio. Vnde inepta partium orationis structura Solœcismus appellatur, quemadmodum sola dictio perperam uel scripta uel pronunciata Barbarismus.

Construc-

Constructio (quam Valla lib.2.cap. 12. Complexum orationis appellat) duplex est. Iusta siue usitata, & Figurata siue nouata.

Iusta dicitur, cui nec deest quippiam, nec redundat, nec loco suo abest, nec immutatur. Perfecta dici potest & uisitata.

Figurata est, cui deest aliquid, uel redundat, uel loco suo abest, uel immutatur, non tamen sine summorum in Romana lingua uirorum exemplo. Nouatam appellant.

Constructio iusta diducitur in Prosopicen, id est, personalem, & Aprosopen, id est, impersonalem.

Prosopice est, quæ ex personę ratione tota pendet. Est autē persona duplex. Altera sermonis, nempe quæ loquitur, ad quam sermo dirigitur, & de qua sermo habetur, ut in pronomine dictum est: & de hac in præsentia, tanquam Megarensium, nulla ratio, nisi in cōstructione uerbi personalis cum recto. Altera persona cōstructionis, & est quicquid rationem exhibet, alicuius ut subsistentis, uel uocati, uel agentis uel patientis, uel cui accedit decedítue quippiam, uel causæ, uel loci, uel temporis, uel instrumenti, uel denique quod casus alicuius propriam rationem præfert: & de hac in præsentia. Persona duplex.

Aprosope scinditur in Syncategorematicen, & mere Latinam.

Constructio Syncategorematica est, quę Syncategoremata recipit atq; admittit. Syncatego-

fremata hoc loco dicuntur, quæ nec solidũ quippiam significant, nec in oratione, nisi cum alijs iuncta, consistunt. Quod genus sunt, non declinatæ siue inflexiles partes omnes, & ex declinatis Interrogatiua, Partitiua, Particularia, et Vniuersalia nomina, & quædã etiam Pronomina.

Mere Latina constructio est, quæ in uocibus duntaxat pro linguę Romanę proprietate iungendis tota uersatur: sic dicta, quod Latinę linguæ sit propria. Hæc in Delectu & Ordine, tota consistit. Delectu, ut cum superlatiuis quisq; potius subijcis quàm omnis: ut, Doctissimus quisq;. De quo Valla lib. 1. cap. 14. Ordine, cum dicis Quã urbem statuo, potius quàm, Vrbem quam statuo.

Videtur autem hęc reliquorum constructionis generum communis: quin etiam cum figurato syntaxi interdum sese commiscet: unde & sparsim pro ut occasio eius erit in sequentibus tractabitur.

Prosopice etiam duplex est. Intransitiua & Transitiua.

Intransitiua est, in qua uoces ad eandem personam referuntur, eandemq; repræsentant; uel est, ubi in eadem persona subsistitur: ut, Erasmus est syncerus Theologus. Græce ἀμεταβάτα, Hæc in his constructionis accidentibus, quę habet communia, concordet necesse est.

Sunt autem constructionis accidentia sex, Casus, Genus, Numerus, Persona, Modus, & Tempus,

pus. Sic dicta, quod in his ferè omnis legitima constructio uersetur.

Transitiua constructio est, quum ab una persona in alteram fit transitus: ut, Præceptor docet discipulos. Et hæc sub diuersis accidentibus cõiungi partim potest, partim omnino debet. Hæc Græce μεταβατικὴ dicitur.

Et est duplex, Simplex uidelicet, & Geminata siue Diabatica.

Simplex quando ab una persona in alteram duntaxat fit transitus: ut, Præceptor docet discipulos. Diabatica uero cum in plures personas & easdem diuersas fit progressio: ut, Præceptor docet discipulos Grãmaticam, hora pomeridiana, non minore profectu quàm sedulitate, &c.

DE CONSTRVCTIONE Intransitiua regulæ.

ADIECTIVI CONSTRVCTIO.

ADIECTIVVM cum proprio uel appellatiuo, de quo dicitur, *in genere, numero, & casu consentit*. Vt, Dealbatus paries. Viuum cadauer. Mulier muta. Rara auis in terris, nigroq; simillima cycno. Heluolum uinũ, quo de M. Cato, de re rustica cap. 24. Syncerus amicus. Trabalis clauus.

Vide Vallã li. 3. cap. 16.

Heluolũ uinum mediũ inter rubrũ ac album. schillerwyn stycher. etc.

Sub adiectiui appellatione cõprehenduntur nomina adiectiua, Interrogatiua, Relatiua, Vniuersalia, Partitiua. Item pronomina Demon-

Videtur hypocoristicõ esse ab Heluo cõlore.

ſtratiua & Poſſeſsiua. Denique participia omnia. Vt, Quis deus, quanta gula, neutra acies, hic uir, noſter herus, uinea putanda, ager colendus, homo armatus.

Porrò adiectiuum aliâs præcedit, ut Bona fortuna: aliâs ſequitur, ut Vir bonus. Trifariam tamen ſequi omnino debet. Primo, cũ adiectiuum eſt patrium ſiue gentile, ut Plato Athenienſis, Vergilius Mantuanus. Secundo, quum tranſitionem aliquam ſibi annexam habet, ut Homo peritus rerum. Tertio, cum adiectiuum eſt participium, ut Ariſtoteles ambulans, Plato nauigans.

Appoſitio.

2 Nomina ſubſtantiua appoſitiue iuncta in eodem caſu collocentur. Vt, Pulmo ſpirandi officina ſub corde eſt. Poetæ Muſarum antiſtites. Roma caput mundi. Ancer capitolij defenſor. Tigris animal pernix & truculentum, &c.

Appoſitio eſt cõtinua duorum ſubſtantiuorum coniunctio, quorum alterum declarat alterum. Veteres Epexegeſin uocant.

Fit aũt tribus de cauſis. Primo cauſa reſtringendæ generalitatis: ut, Arbor laurus, Menſis Ianuarius, Fluuius Rhenus. Secũdo remouendæ æquiuocationis gratia: ut, Canis animal latrat, Leo ſignum cœleſte ardet, Lupum piſcem non uidit Italia. Tertio fit attribundę proprietatis cauſa: ut, Vergilius uir ſummus.

Linacrus li. 3. quatuor Appoſitionis formas ponit.

ponit. Prima est publice recepta Appositio, quę participium ens, quod aliâs in usu non est, omnino subauditum habet. Secunda est, quæ participium aliquod interponit: ut, Cicero designatus consul. Scipio dictus Africanus. Tertia est, in qua uerbum aliquod in medio adhibitū est: ut, Cæsar erat perpetuus Dictator. Octauius dicebatur Augustus. Quarta est, in qua adiectiuum tertium locum occupat: ut, Terra est immobilis. Et huic postremæ definitio nō cōpetit. Quare sequentes de hac regulas subnotato.

3 Adiectiuum & substantiuū subsistendi uerbo aut simili discreta, nihilominus eiusdem generis, numeri, & casus familiaritatem contrahunt: ut, Vinum est defecatum. Consilium malum consultori pessimum est. Pastor iacet supinus. Italia uino est refertissima. Rusticus prædiorū ditissimus. Vicinus lucri est auidissimus.

4 Adiectiuum superlatiui gradus partitiui naturam habentis, cū genitiuo adiuncto in genere consentit: ut, Homo animalium est dignissimum. Tigurum Heluetiæ urbium est celeberrima. Ignis elementorum supremum. Est qñ aliter comperies, præcipue apud Ecclesiasticos.

5 Si substantiuum uocandi casus fuerit, adiectiuum sit nominandi, modo substandi uerbū interponatur: ut, Discipule sis studiosus. Fili esto sobrius. Quod si nihil interijcitur, in simili casu ponantur: ut, O fili charissime. O monache pertinacissime.

6 Adiectiuum nomen inter duo ſubſtantiua diuerſi generis poſitũ, cum ſequenti generis, numeri & caſus amicitiam cõciliat: ut, Fœmina eſt imperioſum animal. Aqua eſt ſuauiſsim' potus.

7 Adiectiuum participiale inter duo diuerſi generis ſubſtantiua collocatum, antecedenti in genere, numero & caſu conſentit, ſi modo uerbum eius duos nominandi caſus utrinq; admittit: ut, Semiramis ſexum mentita puer credita eſt. Xenophon dictus eſt Muſa Attica. Verbum eſt factum caro. Verg. Georg. 2. Atq; habitæ Graijs oracula quercus.

8 Eſt quando adiectiuum participiale cum ſubſtantiuo quod ſuccedit, in genere, numero et caſu concordat, maxime quando uerbum eius duos nominatiuos utrinq; habere nequit: ut, Pruina eſt ros congelatus. Glacies eſt concretus liquor. Grando eſt congelatus imber. Vox eſt aër ictus. Liuius lib. 1. Decadis 1. in fronte, Gens uniuerſa Veneti appellati. Cicero, Non omnis error ſtultitia eſt dicenda.

9 Adiectiuum ſiue relatiuum plurale neutrum, ſubſtantiuis rerum ſexu carentiũ eiuſdem uel diuerſi generis ſubiungatur: ut, Ira & furor graui uiro ſunt fugienda. Virga tua & pedum tuum ipſa ſolantur me. Ignis, grando, nix, cauma, uentus & turbo, quæ faciunt uerbum eius. Nonaria & ludus literarum ſtudioſis perniciоſa ſunt.

10 Adiectiuum ſingulare duobus ſubſtantiuis

uis rerum animatarum ac diuersi generis subiunctum, in genere cum propiore concordat: ut, Maritus & uxor cõtumelioſa rixantur. Adoleſcens & puella morata miſcent colloquium.

RELATIVI CONSTRVCTIO.

1 Prouocabulum qui, quæ, quod, & pronomen relatiuum, cum eo, quod à ſuperiore repetitum, aperte ſecum uel tacite exhibet, in genere, numero, & aliquando in caſu conſentit: ut, Dines, qui auarus eſt, eget. Lectio quę non repetitur, facile dilabitur. Vinum quod meratius eſt, hyeme bibitur. Additum eſt aliquando in caſu, quod ſępenumero in eo diſſentiant: ut, Sæculũ, quo uiuimus, deterrimum eſt. Qui bene conijciet, hunc uatem perhibeto optimum.

2 Relatiua accidentis & eorum redditiua, in ſimili genere, numero, & caſu ut adiectiua concordant: ut, Qualis mater, talis filia: qualis parochus, *talis ſubiectus* populus: qualis paſtor, *talis grex: lauſiger hirt/grindige ſchaaff.*

3 Relatiua *accidentis ab illorum redditiuis* non raro uel *in genere uel in numero* diſcordant: ut, Qualis uir, *talis* oratio: Qualis hera, tales pediſſequæ: Qualis olla, tale eſt operculũ: Prædium eſt tale, qualis eſt cultor; Tantæ ſunt gratiæ, quantum fuerit munus.

4 In recta & legitima conſtructione relatiuũ qui, quæ, quod, inter duo ſubſtantiua diuerſi generis poſitum, cum ſuperiori cõformari debet.

Cicero libro de natura deorum 2. Propius à terra Iouis ſtella fertur, quæ Phaëton dicitur. Val. Max. lib. 2. Antea ſenatus aſsiduam ſtationem eò loci peragebat, qui hodie Senaculum appellatur, Pompo. Mela. ab eo flumine, quod Saliam uocant, Liuius lib. de bello Maced. & Aſiatico 6. Herculi, inquit, ſacrificium fecit in eo loco, quem pyram appellant, Plinius libro trigeſimoprimo cap. 4. Proditur certe in Creta, expugnato oppido, quod uocabatur Archadia, ceſſaſſe fontes.

5 Relatiuum qui, quæ, quod, inter diuerſi generis ſubſtantiua poſitum, non raro cũ ſequenti in genere & numero cõuenit. Salluſtius, Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Cæſar, Anxur fuit, quæ nunc Taracinæ ſunt. Latiũ, quæ fideliſsima urbs fuerit, Plinius, In coitu Lunę, quod Interlunium uocant, Cice. Omnes tenues atq; humiles, quæ maxima in oppido multitudo eſt, ſibi præſidium paratum putant, &c. Vide Vallam lib. 3. cap. 19.

6 Quando relatiuum cum ſuo uerbo antecedenti præponitur, illud antecedens non inuenuſte cum uerbo quidem principali inimicitias, cum relatiuo uero generis, numeri, et caſus amicitiam contrahit. Fab. Timeo ne quos porrexerim cibos, uenena fiant. Ouidius,

Cecidere manu, quas legerat herbas.

Quas ad me dediſti literas, fuerũt gratiſsimę, etc.

7 Relatiuum aliquando integrũ ſenſum pro baſi

basi & antecedēte obtinet. Terentius Heauton. actu secundo, scena quarta, In tempore ad illam ueni, quod rerum omnium est primum.

INTERROGATIVI constructio.

1 Interrogatiuum & id quod redditur, solo casu concordant: ut, Quis aberrat à ianua? Hypocrita. Cuius est fundus? Vicini. Cui committis arcana? Seruo futili. Quem authorem in manibus teris? Ciceronem. A quo æs alienum conflasti? à danista. Quali usus es præceptore? Literato. Vide Linacrum li. 6. de Syllepsi fere in calce.

2 *Si* per uerbum quæritur, uerbo respondendum est. Quid rerum nunc geritur in Germania? Conscribitur exercitus contra Turcam. Quid in ludo agitur literario? Legitur, luditur, ociatur. Viden'? Video. Curasti quæ iusseram? Curaui, & quidem sedulo. Nonnunquam & per aduerbia etiã, ita, maxime, sic, quid ni: non, nequaquam, &c.

3 Erotēma & Apodoton suum *in* casu male conueniunt, quoties *in* Eterōsi *dictio* uariæ syntaxeos ponitur: ut, Quanti emisti librum? Paruo, uili, tribus assibus, octussi, &c. Quãti reuendidisti Plinium? Magno, uilioris quàm emerã. Quãto precio uenduntur Erasmi Apophthegmata? Minoris quàm credas.

4 Ad cuius, a, um, respondendum est per possessiuum siue nomen sit siue pronomen in simili casu: aut per genitiuum nominis tum pro-

prij tum appellatiui: ut, Cuius est codex? Meus, tuus, noster, Erasmi. Cuia est sententia? Mea, tua, Terentiana, Ciceronis. Cuium pecus? Laniorum, nostrum, &c.

VOCATIVI CONSTRVCTIO.

1 Vocatiuus uocandis appellandisue personis est accommodus, semperq; absolute constitit: ut, Tytire.

2 Vocatiuus uocãdi aduerbijs plerunq; subiũgitur: ut, Heus Angele, O Hermolae, O uirr.

Omnis uocatiuus est secundæ personæ: nam quicquid uocamus, id omnino alloquimur, nõ tamen cõtra. Ob id Grammatici non pœnitendi hunc casum secundæ uerborum personę iungendum autumant. Hoc subiecto canone.

3 Vocatiuus secundis uerborum personis accommodatur: ut, Heus puer aperi fores. Discipuli incumbite bonis literis.

CONSTRVCTIO VERBI finiti cum Nominatiuo.

1 Omne uerbũ finiti modi præcedit nominatiuus agẽtis seu patientis eiusdẽ numeri et personæ: ut, Equus succussat, Vinũ acessit, Nix liquescit, Ego homuncio hoc nõ facerẽ? Nos poma natamus. Finiti modi quatuor sunt, Indicatiuus, Imperatiuus, Optatiuus, & Subiunctiuus.

2 Vtimur prima & secunda uerborum persona in utroq; numero dissimulatis pronominibus: ut, Valeo, Nosce teipsum, Belle ualemus, Perperam scribitis.

3 Prima

3 Prima & secunda persona pronominũ aliquando emphasis aut discretionis causa uerbis expressè cohærent. Discretio exclusionem complectitur: ut, Vos damnastis. q. d. præterea nemo. Emphasis (qua plus significamus, quàm dicimus) excellentiam notat: ut, Nos accusauimus, q. d. præ alijs accusauimus.

4 Aliquoties pars orationis sensúsue nominatiui loco ponitur. Id autem sex modis usu uenire solet. Primo per infinitos uerborum modos: ut, Scire tuum nihil est. Secundo per infiniti sensum, hoc est, infinitiuum cum accusatiuo à fronte, id quod Dialectici recentiores Dictum uocant. Terent. Eunuch. Apparet hunc esse seruum domini pauperis miserique. Tyrannos uiuere non expedit reipublicæ. Tertio, per infinitiuum cum casu à tergo, quod Attributum appellant. Terent. And. Cui uerba dare est difficile. Tempori uenire præstat, quàm sero. Quarto, integra oratio, in quam infiniti sensus resoluitur, interdum nominatiui locum occupat. Appellatum uocant. Est autem integra oratio nominatiui cũ uerbo præcedente particula, quod, ut, ne, aut similis. Ouid.

Hoc scio, quod scribit nulla puella tibi.

Quinto, omnis dictio technicè & materialiter posita; ut, Lego est uerbum, Hodie est aduerbiũ, Ego est primæ personæ. Etiã artis uocabula: ut Celarent est secundus primæ figuræ modus. Sexto, aduerbia quædam uice nominis

funguntur: ut cras, satis, parũ, mane, partim, &c.

Verba exceptæ siue exemptæ actionis uocantur, quorũ actio soli deo siue naturæ non nobis, attribuitur.

5 Verba hominum uel in tertijs personis, uti etiam exceptę actionis uerba, citra nominatiuũ enunciantur: ut sunt, dicunt, ferunt aiunt, clamitant, numerant, &c. Grandinat, rorat, fulgurat, coruscat, fulminat, tonat, stillat, pluit, ningit, diescit, noctescit, Valla lib. 3 cap. 40.

6 Verbum personale finitum quãdoq; duos in appositione rectos à fronte exigit: ut, Aurum uitæ corruptela effoditur, Genæ pudoris sedes rubescunt, Pastor Coridon ardebat Alexim.

7 Ad geminatum singulare cõiunctione connexum honestius sequitur adiectiuum, uerbũ, aut etiam appellatiuũ plurale. Ouid. lib. Trist. 4. ele. 5.

Vrsas intelligit, maiorem ac minorẽ in cœlo, sunt sydera quæ nunquã occidunt: unde dicit, utraq; sicca.

Magna minor'q; ferę, quarũ regis altera Graias,
Altera Sydonias, utraq; sicca rates.

Socrates & Plato philosophantur. Felix & Beatus Tigurini; Habentes uictum & amictum ein suppen vnd ein juppen, his contenti simus. Est quando singulare sequitur: ut, Ego & Cicero meus flagitabit. Seneca, Est autem noxia aqua in Thessalia circa Tempe, quam & feræ & pecus omne deuitat. Vbi alterum etiã est plurale.

8 Substantiua uocandi'q; uerba & eis similia, utrinq; nominandi casum ascisciunt. Substantiua quatuor sunt, Sum, Forem, Fio & Existo, Vocatiua quinq;, & quidem in passiua uoce, Appellor, Dicor, Nominor, Vocor, Nuncupor. Eis similia sunt quædã passiua: ut, Scribor hæres,

res, Salutor magister, Catelli gingnuntur cæci.

Itē uerba gestuum: ut, Pastor dormit supinus, Hepaticus bibit ieiunus. Denique omnia uerba personalia post se nominatiuum habent, adiectiui nominis: ut, Priamus iubet primus, Scholastici discunt seduli, Pij orant taciti, Prudens loquitur modestus, Viue pius.

INFINITIVI CONSTRVctio Intransitiua.

1 Verba infiniti modi à fronte accusatiuum exigunt: ut, Patrē recte ualere gaudeo. Discipulum nauare operam in re literaria, gaudio præceptorem afficit. Te studuisse non pœnitebit. Calamo triuisse labellum.

2 Infinitus modus, quem casum à fronte recipit eundem à tergo plerunq; habebit, præcipue quum uerbo optandi eisq; similia accedunt, ut sunt infinita uerborum substantiuorum, uocatiuorum eorumq; naturam habentium. Casus ille aut nominatiuus erit aut accusatiuus. Malim esse diues quàm haberi, Malo me esse diuitē quàm haberi, Hypocrita cupit uideri iustus, Spero uideri tibi amicus, Spero me uideri tibi amicum, Hæc optauit uiuere pauper, Hic cupit esse tuus, Cupio me esse tuū, Tu affectas dici facūdus, Possum resistere solus, Video eor scripsisse hæc primus, Hæres inscribi appeto, Percupio me inscribi hæredem. Casus interdum uariant: ut, Non licet Venetijs esse probos uel probis,

Non uacat esse ægrotum & ægroto, & cætera, Valla lib. 3. cap. 33.

3 Verba infinitiui modi uerbis proæreticis, uoluntatis, sensus & compluribus aliis frebro succedere solent: ut, Cupio discere, Videre desydero, Volo deambulare, Nolo peregre proficisci, Mauult cessare quàm nihil agere, Cuncti se scire fatentur, sed dicere mussant. Assueuit bibere uina. Vergilius,

Ver. Ae. 11

Stat cõferre manũ. Pers. Sat. 5. Secreti loqmur, Desipere dicimur, Memini facere. Vergilius, Nos abijsse rati, &c. Aeneid. 2.

4 Inter uerbum finitum & infinitum non raro obliquus casus intercalatur. Hoc in utraque constructione tam intransitiua quàm transitiua fieri solet: ut, Iubeo illum saluere, Volo te rescribere, Video te sapere, Gaudeo te uenire incolumem, Placet mihi arcanis literis incumbere, Arridet illi docere Musicam.

Vide Vallã li. 2. ca. 20.

Hic infinitiuus in Appellatum resolui potest: ut, Video te sapere, uideo quod sapis siue sapias, Iubeo quod redeas, non redis, Volo te narrare, uolo ut narres.

Est quando (ut) particula omittitur: ut, Volo te rescribere, rescribas uolo, Velim te facere, facias uelim, &c.

Placet quibusdam casum inter uerbum finitum & infinitum utrique posse accommodari, maxime si finitum uerbum sit impersonale: ut, Placet mihi uel me scribere, Libet mihi uel me

cum

cum honestis uiris agere, &c.

Verba infinita nominibus adiectiuis facultatem significantibus non inuenuste adhibentur. Horatius libro primo, epist. 17.

Fons etiã riuo dare nomẽ idoneus. Idẽ in Arte: Cereus in uitium flecti. Id est, pronus. Vergil. Soli cantare periti. Idem.

Et cantare pares & respondere parati.

Pers. sat. 5. Pallentes radere mores Doctus.

Idem in eadem. Tunc fallere solers.

Fortis bellare, & ad bellandum, Idoneus militare, & ad militandum. Vide Vallam lib. 1. ca. 25.

CONSTRVCTIO NOminis cum Genitiuo.

1 Quoties duo substantiua sine appositione conueniunt, alterum genitiuo casu efferendum est: ut, Codex Vergilij, Caput Ciceronis, Discipulus Platonis, Vmbra platani, Examẽ apum, Amphora uini, Iugerum agri, Cibus hominis, Luteum oui, Clunes leporis, Vertitur nonnunquam genitiuus ille in nominatiuum possessiui nominis: ut, Euandrius ensis, herilis filius, Paterna domus: quo locutionis genere Cicero & alij delectati sunt.

Laurent. Valla lib. 2. cap. 1. scriptum reliquit, Omnem genitiuum aut actiue aut passiue accipi: addit etiã possessiue, quod penè pro actiue significat. Actiuè: ut Prouidẽtia dei, bonitas dei: qua scilicet deus prouidet & benigne agit. Passiue: ut, Timor dei, cultus dei, ibi timetur &

colitur. Possessiue: ut, Sedes dei, regnum dei. In his autem & similibus, Amor dei, Charitas patris, Suspicio uxoris, intellectus est ambiguus & anceps. Possunt enim bifariam interpretari, Amor dei, uel quem deus in nos habet, uel nos in eum. Charitas patris, quem pater erga filios, aut filij erga patrem habent, &c.

Porrò genitiui, qui patientium speciem exhibent, ferè per ablatiuum cum præpositione de siue propter resolui possunt. Terē. And. Amor, misericordia huius, nuptiarū solicitudo, Tum patris pudor, &c. pro misericordia de hac, solicitudo de nuptijs, & pudor de patre. Cęsar, Multi ex nostris uulnerabantur, magnusq; incesserat timor sagittariorum: pro de sagittarijs. Cicero, Neq; enim ualde aduentus eius est opinio. Seneca, Nullam fecit cometarum mentionem. Sallustius, Sed gloriæ inter ipsos maximum certamen erat: pro de aduentu, de cometis, de gloria. Linacer lib. 3.

Sce 5. Act. 1.

2 Quædam adiectiua substantiuè sumpta, ac item nonnulla pronomina genitiuum admittunt: ut, Multum lucri, paulum pecuniæ, hoc negotij, id oneris. Quid illic rerum geritur. Cicc. Et militum quod haberent ad uos deducerent. Idem lib. ad Atti. 8. epist. 17. Vos hortor, ut quodcunq; militum contrahere poteritis, cõtrahatis. Idē libro 5. epist. 19. Quod te mecum, quodcunq; cepissem cõfilij, polliceris fore, &c. In hoc albo sunt Adiectiua, quæplerunq; genè ralem

Plautus in Pœnulo actus 1. scē. 3. Quantum est Achesonti morę uorum.

ralem aliquam quantitatem præ se ferunt: quod genus sunt, multum, minimum, exiguum, paululum, tantum, quantum, aliquid, nihil, minus, plus. Vsurpantur tamen & alia ad eundem modum: ut, Abdita rerum.

CONSTRVCTIO ADIECtiui cum Genitiuo.

1 Adiectiua Partitiua omnia, Interrogatiua quædam, Particularia nonnulla, item Particularia & Vniuersalia infinita, in genitiuũ, à quo & genus contrahunt, feruntur: ut, Alter Aiacũ, Singulæ sororũ, Sola auium, Vterq; nostrum, Quisq; uel unusquisq; uestrum, Quis deorum? Vter Atridarum? Quot hominum? Quidam uel aliqui nostrum, Si quisquam, uel ullus uestrum, Quisquis fuit ille deorum, Quicunq; hominum, &c.

Obseruatio.

Mutatur genitiuus Partitiuorum, modo in ablatiuum cum præpositione è uel ex. Ouid. in Arte. Est deus è uobis alter & alter erit Modo De. Idem Fast. 1. Solus de superis, qui tua terga uides. Reliqua quę ad Latinitatis proprietatem spectant, apud Linacrum lib. 3. & passim apud Vallam.

2 Superlatiuus in genitiuum, à quo genus sumit, fertur, & hunc pluralem, nisi aut collectiuũ fit, aut per Metonymiam accipiatur: nam tunc in singularem transit: ut, Grauissima corporũ,

Verg. Aen. 1. Danaum fortissime gẽtis Tytide. Cicer. pro Rabir. Virum unum totius Græciæ doctissimum Platonem. Totius Græciæ pro omnium Græcorum.

Superlatiuus genus à genitiuo sequente sortitur, nisi in neutro ponatur genere. Lucanus, Cogunt tamen ultima rerum, Spe pacis tentare ducem. Ouid. lib. de Pont. 4. eleg. 1.

Sic ego sum rerum non ultima Sexte tuarũ.

Interpretantur authores genitiuũ hunc modo per è uel ex. Cicero, Acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus, esse sensum uidendi: modo per inter, Verg. Inter & Acheidas longe pulcherrima matres: modo per ante, Plin. lib. 8. cap. 40. Fidelissimi ante omnia canes & equi.

Ex superlatiuis Proximus peculiariter Datiuo, & Accusatiuo cum uel sine præpositione iunctum legitur. Sallustius, Proxima Carthaginiloca. Cicero in Pisonem, Proximus Pompeium sedebam. Ouid. de Arte, Proximus ad dominam nullo prohibente sedeto.

3 Adiectiua quædam uerbalia in ax, idus, & pauca nec omnia uerbalia in ius, in genitiuum diuersæ personæ feruntur. Papin. in Syl. Audax ingenij. Ouid. lib. Meta. 1. Sanctius his animal mentisq; capacius altæ. Idem, Tempus edax rerum. Verg. Illa ferax olei est. Seneca, Esto uiciorum fugax. Tacitus, Opum contemptor, recti pertinax. Plin. Omnium utilitatum & uirtutum rapacissimi. Ita fagax rerũ utilium apud Horat.

Sill.

Sill. Spernaces mortis: tenax propositi. Exempla de Adiectiuis in idus. Plin. Vt est natura hominũ nouitatis auida. Tacitus, Nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur. Ouid. Cupidus studiorum. Plaut. Cupidus leno auri. Sill. Impauidus somni seruat pecus. Iuuen. Et subiti casus improuidus. Liuius, Trepidi rerũ suarum. Horat. Timidusq; procellæ. Tacit. Validus animi & corpore ingens. In ius hæc, Anxius, conscius, dubius, deuius, egregius, inscius, nescius, nuncius, obnoxius, præscius. Sill. Anxia fati. Vergil. Et mens sibi conscia recti. Habet & datiuum solum. Terent. Egomet quæ mihi conscia sum. Vergil. Nec sum animi dubius. Sill. Sed deuius æqui. Papi. Tu tamen egregius facti, Inscius æui, Nescia ueri. Vergil. Tam ficti prauiq; tenax, quàm nuncia ueri. Liuius, Spei liberam, obnoxiam timoris. Vergil. Præscia futuri.

4 Complura participialia in ans, & ens, ac item ex his quæ in tus, uel sus exeũt, genitiuum asciscunt. In ans & ens sunt hæc, abundans, amans, audiens, appetens, abstinens, cupiens, efficiens, experiens, ferens, fugiens, fugitans, fidens, furens, metuens, negligens, obseruans, patiens, potens, prçstans, prospiciens, reuerentior, sitiens, seruans. In tus et sus hæc sunt, consultus, contentus, doctus, eruditus, expertus, falsus, indoctus, lapsus, manifestus, mactus, mutatus, oneratus, præfectus, profusus, suspensus,

scitus, uictus, ualidus. Exempla ex Thoma Linacro expiscari licebit lib. 3.

Hæc cum participia sunt, suorum uerborum casus admittunt: ut, Paucis contento. Præfectus urbis, nomen. Præfectus urbi, participium. Priscianus lib. 17.

5 Ingens nominum Adiectiuorum turba in patrium casum fertur. Ex his hæc sunt, amens, auarus, alienus, benignus. Politian. li. 1. epist. 11. scribit, Beatus es gratiæ mi Roberte, id est plenus. Cæcus, certus, certior, compos, elegans, æmulus, expers, fessus, gnarus, integer, imperitus, incertus, indigus, inops, immemor, inanis, insolens, ignarus, immunis, imprudens, largus, liber, liberalis, maturus, memor, miser, prosper, pauper, parcus, particeps, præceps, peritus, prudens, reus, rudis, sanus, satur, securus, serus, solicit⁹, sterilis, superstes, uecors, uanus, &c.

Pers. sat. 5. Viue memor leti. Modicus uoti. Pers. sat. 5. Pers. sat. 6. Securus uulgi.

Sunt ex his nonnulla, quæ cum alijs etiam casibus apud Authores iuncta leguntur, præsertim ablatiuis, cum uel sine præpositione: ut, Expers metu, inops uerbis Cicero, Alienum est dignitate tua Idē, Non alienus à Sceuolæ studijs.

NVMERALIVM CONstructio cum Genitiuo.

1 Adiectiua numeralia cardinalia in gignendi casum feruntur, præsertim quando partitionem subindicant: ut, Tres fratrum, Quatuor iudicum.

2 Numeralia ordinalia omnia partitionem præ

præ se ferentia in genitiuum transeunt: ut, Primus, Secundus, Tertius librorum Aeneidos.

Est quando hæc ablatiuum cum prępositione admittunt in alio tamen sensu: ut, Primus ab Hercule. Tertius ab Aenea. Etiam cum dandi casu: ut, Nulli pietate secundus. Quo sermone uel primus omniũ, uel par cuiuis significatur.

CONSTRVCTIO ADIECtiuorum cum Datiuo.

1 Adiectiua & uerbalia multa, quæ in genitiuum transeunt, nonnunquam alia ratione & dandi casum admittunt: ut, Amator illi, Præceptor mihi, Vsibus capax. Plin. Villa usibus capax, non sumptuosa. Audiens dicto, Conscius amico, Alienus mihi.

2 Adiectiua quibus lucrum, damnum, uoluptas, gratia, summissio, deniq; commodi, incommodiue accessio significatur, metabaticôs in datiuum transeunt eorum aduersus quæ sic se habent: ut, Vtilis, damnosus, periculosus, difficilis, fidus, gratus, iucundus, supplex. Fidus uero & in genitiuum. Verg. Præterea regina tui fidissima dextra Occidit ipsa sua. Item grauis, intentus studio, &c.

3 Adiectiua, quæ similitudinẽ, dissimilitudinem, paritatem uel simul esse significant: & quæ ex con præpositione componuntur: præterea ex his ad aliquid dicta, quæ Aequiparantia uocant, datiuum asciscunt: ut, Similis, dissimilis, par, impar, æqualis, æquus, contrarius, aduer-

sus, socius, contubernalis, commilito, conser-
uus, cognatus, communis, uicinus, finitimus,
propinquus, amicus, inimicus, aptus, ineptus,
commodus, idoneus, obnoxius, affinis, & cum
his propius & idē. Propior Ioto, scripsit Ouid.
Metam. 7. fab. 2.

Multa ex his genitiuis iuncta leguntur: ut,
Amicus Senecæ, Inimicus Cæsaris. Lucanus,
Quem metuis, par huius erat. Terent. Domini
similis es, Dicimus similis tibi & tui. Manc. Ille
tui similis, mores qui seruat eosdem. Ille tibi si-
milis faciem qui seruat eandem.

4 Hic & hæc communis & hoc commune,
in genitiuum, dandi casum & ablatiuum cum
præpositione transit. Cice. lib. 1. off. Commune
animantium omnium est coniunctionis appe-
titus, procreandi causa. Mors omnibus commu
nis. Cicero, Quibus est cum oratoribus illa ex
repugnantibus sentētijs communis conclusio.

5 Verbalia in lis & participialia in dus, præ-
sertim quæcunq; à passiuis declinantur, passi-
uorum datiuū recipiunt. Ex his hæc sunt, ama-
bilis, docibilis, execrabilis, legibilis, flebilis, mi-
rabilis, affabilis, habitabilis: amandus, doceñ-
dus, uisendus memorandus, &c.

ADIECTIVVM CVM Accusatiuo.

1 Adiectiua, quibus generalis mensura siue
dimensio significatur, in accusatiuum transeūt,
sed eius dictionis quæ priuatam mensuram si-
gni-

gnificat. Aliquando etiam in genitiuum & auferendi casum: ut, Caulis palmum altus. Gnomon septem pedes longus, umbram non amplius quatuor pedes longam reddit. Columella lib. 2. cap. 11. In morem horti areas latas pedum denum, longas pedum quinquagenũ facito. Plinius 35. Longũ sesquipede, latum pede.

ADIECTIVVM CVM Ablatiuo.

1 Ablatiuis iunguntur comparatiua omnia, idq; singularibus uel pluralibus, nisi partitio potius significetur quàm collatio, sic enim in genitiuum, partitiuorum ritu, feruntur.

Collationis exempla, Frigidius glacie, leuior uentis, leone fortior, Platone doctior.

Aceruum exemplorum reperies apud Ouid. lib. Meta. 13. fab. 6. Partitionis exempla, Maior iuuenum, minor fratrum.

Soluitur comparatiuorũ ablatiuus in quàm coniunctionem electiuam, & rectum eiusdem nominis. M. Cato de re rust. cap. 4. Frons occipitio prior est: prior, id est potior est quàm occipitium, siue occiput. Quã solam constructionem uidentur diminutiua comparatiuorum habere. Terent. Thais quàm ego maiuscula est. Eunuch. scē. 3. act. 3.

Genitiuus autem per è uel ex, partitiuorum ritu, uertitur: ut, Minor è pueris, ex duob. filijs maior. Et p inter: ut, Quis inter eos fortior fuit?

2 Comparatiuus nonnunquam duos admittit ablatiuos, alterũ collationis, alterũ qui men-

ſuram exceſſus ſignificat: ut, Multo antiquior Socrate, nihilo ſegnior Pyrrho. Obſeruat Laurent. contra Raudenſem, Comparatiua, cum generi iunguntur fœmineo, ſæpius ea per e legi: ut, Secundiore fama, lætiore fortuna, commodiore ualetudine ſum. Cum alijs generibus potius per i, Iuuen. Conſtat leuiori bellua ſumptu.

3 Hi duo Ablatiui Aetate & Natu tum comparatiuis tum ſuperlatiuis accommodantur: ut maior & maximus natu, grādior ętate, maior et maximus ętate: Ouid. Meta. 7. fab. 4. Qui ueſtri maximus æuo eſt, Dux gregis. Maior uero & minor uiginti annis, monadicon eſt. Itē maior uiginti annorum, per defectum ablatiui ætate, uel illo qui eſt, dicitur, Priſc. lib. 18. Lucan. in 4. Reppulit æſtus Fortior Oceani ſ. æſtibus.

4 Comparatiuus ac item Superlatiuus gradus, etiam poſitionum ſuarum caſus nonnunquam excipiunt: ut, Dignum laude, dignius & digniſsimum laude. Auidus habendi, auidior & auidiſsimus habendi. Amicus nobis, amicior & amiciſsimus nobis.

5 Comparatiuus & ſuperlatiuus aliquando diuerſum & à poſitionis ſuæ caſu, & ſuo recipiūt. Salluſt. Nulla arte cuiquam inferior. Plin. lib. 3. ca. 16. Padus nulli amniū claritate inferior.

6 Adiectiua copiam inopiámue ſignificantia ablatiuum diuerſæ perſonæ adſciſcunt, quibus ſe dignus & indignus adiungunt: ut hæc, caſſus, dis, diues, extorris, fœtus, fœcundus, locu-

ples,

ples, orbus, plenus, præditus, truncus, uacuus, uiduus. Perſ. ſat. 1. Et cedro digna locutus. Verg. Aen. 2. Nunc caſſum lumine lugent. Pomp. Mela. Tãtũ pecore & finib. dites. Horat. Diues agris, diues poſitis in fœnore nummis. Reliqua in Linac. lib. 3.

7 Quædã ex his adiectiuis copiam inopiamue ſignificantibus in genitiuũ feruntur. Ouid. Operis digna tui. Haud indignus magnorum auorũ. Verg. Georg. 2. Diues opum uariarum. Verg. Georg. 4. Trunca pedum primo. Idem. Quæ regio in terris noſtri non plena laboris? Horat. lib. ſer. 2. Vacuum cerebri. Ouid. li. Meta. 6. fab. 6. Vacuas habuiſſem criminis umbras, &c.

Quod hæc pleraq; nunc in patrium, nunc in auferendi caſum feruntur, ob illorum caſuum affinitatem fieri uidetur, natura enim ſimilimi ſunt, teſte Valla lib. 2. cap. 1. & cap. 17. lib. 3. Vnde quæ *Græci per genitiuum efferunt, Latini ferè per ablat. interpretantur.*

8 Adiectiua quædam excellentiæ, & pleraq; alia in ablatiuum feruntur, eius rei ſecundum quam uel ratione cuius de quopiam affirmantur, Synecdochen uocant, Inſignis fama, Egregius forma, Clarus ingenio, Vehemens facundia, Mactus uirtute, Tres multi plurésue numero, Crine ruber, Niger ore, Breuis pede, Lumine læſus, Nobilis ingenio, Potẽs armis, Andria genere, Syrus natione, Fuſcus colore, Prudens

consilio. Cice. li. off. 2. Par honore. Verg. Aen. 4. Forma pulcherrima Dido. Martia, Castus moribus. Integer pudore, Velox ingenio, Decore felix.

9 Nomina diuersitatis ablatiuos sibi cũ præpositione subijciunt: ut, Alter ab illo, Aliud ab hoc, Diuersus ab illo.

De Numeralibus ordinalibus suprà in constructione genit. ut, Primus à Dardano, Secundus ab Homero.

10 Nomen substantiuum admittit quandoq; orationem adiectiualem uel in patrio uel auferendi casu, dum quippiam laudis aut uituperij significatur: ut, Puer bonæ indolis, & bona indole: Vir maximi nasi, & maximo naso: Homo miræ eloquentiæ, & mira eloquentia. Rarius hoc, Puer bonus indole. Illud uero poëticè, Puer bonus indolem. Vide Vall. lib. 3. ca. 17.

11 Omne nomen post quod præpositiones, cũ, de, è, ex, in, pro, per, ppter, subaudiri queunt, in ablatiuum ferri potest: ut Hieronymus nomine, *Scipio cognomento Africanus, Alexander cognomine Magnus*, Nomine gratus, Re barbarus, Natura pater, Præceptor consilijs, Troianus origine Cæsar, Spe diues, Re pauper, Præfectus authoritate principis, &c.

12 Opus nomen omnis generis inflexile, ablatiuum nunc cum datiuo, nunc absq; eo, substandi uerbo interueniente, non ineleganter assumit. Cicero lib. epist. 9. Authoritate tua nobis opus est & consilio & etiam gratia. Hac in re tu-

tore

tore opus est & patrono. Cice. lib. 7. epist. ultima, Opus est hic limatulo & politulo tuo iudicio. Admittit etiam nominatiuum præcedẽtem, & ipsum post uerbum intelligitur, ac pro necessarius accipitur. Terent. Alia quæ opus sunt cõparet. Cice. lib. 2. epist. 5. Dux nobis & author opus est. Ouid. cum genitiuo committit, lib. de Arte Amandi 2.

Perf. sat. 1. Sed quid opus teneras mordaci radere uero.

Nec minor est uirtus, quã quærere, parta tueri.
Casus inest illic, hic erit artis opus.

Politia. lib. 12. epi. 19. Cuius tu solius opus es, scilicet fortunæ.

Cæsar de bello Gall. 1. ablatiuum cum prepositione adhibet, Si quid ipsi à Cæsare opus est: si quid, id est, si in aliquo. Est quãdo infinitus modus ablatiui locum occupat: ut, Opus est benefacere his, qui de nobis bene meriti sunt: Opus est parẽtibus ἀντιπαροιμίᾳ, ut habet prouerbium. Cice. lib. epist. 1. epist. 9. Legem Curiatam consuli ferre opus esse, necesse nõ esse, &c. Pe opus compositum. Terent. in Andr. Sed nunc pe opus est, aut hunc cum ipsa, aut aliquid de illa, me aduersus hunc loqui.

PRONOMINVM constructio.

QVOTIES post uerba, participia, & participialia usus genitiui pronominũ Ego, tu, sui, incidit, his qui per i finiunt utendũ est: ut, Me tui pudet, Nil nostri miserere, Oblitusq; sui est Ithacus. Fab. in proœmio libri 1. Vt pleniore obsequio demererer

amantissimos mei. Excipiuntur ex omni numero uerborum tria, Interest, Refert, & Est pro interest: de quorum syntaxi in uerbis.

2 Post adiectiua ferè omnia, quæ in genitiuũ feruntur, genitiuus ab ego, tu, sui, in i finitis uti conuenit: ut, Expers tui, Fidissima tui, Compos sui, Aemulus mei, Memor sui. Cicero ad Terent. Vestri similes fœminæ sint ne Romæ.

3 Numeralia distributiua, partitiua, particularia & superlatiua, quoties in genitiuum pluralem feruntur, pronominum ab ego & tu genitiuos nostrum & uestrum recipiunt: ut, Vnus & primus nostrum. Singuli, uterq;, unusquisq;, quidam uel aliquis uestrum: &, Maximus natu nostrum. Terent. prolog. Heauton. Ne cui uestrum sit mirum.

4 Post appellatiua siue subsistendi uerbum intercedat siue non, genitiuis ab ego, & tu, per is & um finitis, uel quæ generaliter horum loco accipi possunt, possessiuis utẽdum: ut, Fundus, ager, codex, pes, oculus meus, tuus, suus, noster uester, uel nostrum & uestrum, Vel est meus, tuus, &c. uel nostrum uel uestrum, &c. Sed mis & tis priscis quidem usitata, postea exoleuerunt: itaque eorum loco possessiuis necessario nunc utimur.

5 Si quod per appellatiuum significatur, pars sit generalis, non specialis, eius quod per pronomen significatur, per genitiuos in i ab ego, tu, sui, loquẽdum est. Exempla partis generalis sunt,

sunt, Dimidium, pars, aliquid, nihil, multũ, reliquũ, residuũ, plurimũ mei, tui, sui, nostri, uestri.

6 Quædam appellatiua passiue cõstructa, genitiuos in i ab ego, tu, sui, usurpant: ut, Cura, solicitudo, memoria, copia, dolor, potestas, utilitas, usus, uis, amor, fastidium, despectus mei, tui, sui; nostri, uestri: pro his nimirum ipsis quæ nõ in nobis de alijs, sed in alijs de nobis habentur: nam si penes nos sint & de alijs habentur, hoc est si actiue construantur, Possessiua in simili genere, numero, & casu assumunt: ut, Cura mea, Solicitudo tua, Memoria uestra, Dolor noster. Dicimus &, Cura nostrum, Amor uestrum.

7 Appellatiua hæc, causa, fama, imago, tũ genitiuos in i, tum possessiua citra discrimen admittunt: per possessiua tamen locutio magis est usitata: ut, Causa mea, & mei: Fama tui, & tua: Imago nostra, & nostri.

8 Genitiui ab ego, tu, sui, omnes, ac item possessiua hoscce genitiuos, ipsius, solius, unius, duorum, trium, & sic deinceps: omnium, plurium, paucorum, cuiusq; & generaliter participiorum genitiuos post se per appositionẽ recipiunt. Cic. pro Muren. Ex tuo ipsius animo coniecturam feceris. Idem in Gab. & Pison. Dico mea unius opera rempub. esse liberatam. Idem Atti. Solius enim meum peccatum corrigi non potest. Fab. Suæ ipsorum fiduciæ. Liuius 8. ab urbe con. Noster duorũ euentus ostendat, utra gens bello sit melior. Plin. in sua cuiusq; laude præstan-

tior. Cic. de Orat. Si uoluntati omniũ ueſtrum parui. Idem ad Ciceronem, Qui ueſtris paucorum reſpondeat laudibus. Horatius,

Cum mea nemo ſcripta legat, uulgo recitare timentis. Ouid. epiſt. 5. Et fleſti & noſtros uidiſti flẽtis ocellos. Vbi participia poſt poſſeſsiua hæc nõ raro in relatiuũ Qui uerti ſolẽt. i. qui uulgo recitare timeã. Ouid. Nũc mea ſcripta legis, qui ſum ſummotus ad Hiſtrũ. pro ſummoti. Item, Mei ſolius memor, ſuiipſius immemor. Cic. ad Lent. Quocunq; tẽpore mihi poteſtas præſentis tui fuerit. Idem de Orat. Lucium Craſſum quaſi colligendi ſui cauſa, ſe in Tuſculanũ contuliſſe. Ouid. Heroid. Copia placãdę ſit mõ parua tui. De his omnibus Valla lib. 2. cap. 1.

PRONOMINVM reciprocatio.

Reciprocũ dicitur, quod eò redit unde prodiit: ut, Spiritus reciprocatur, cum rurſus abſorbetur: & horæ reciprocãtur, cũ expleto legitimo curſu rurſus ad priſtinũ ordinẽ redeunt. Haud aliter pronomina reciproca ad id unde prodierunt, hoc eſt ad agentem, reuocantur. Reciproca ſenſum inchoare nunquam poſſunt. Porrò Reciproca conſtructio eſt, in qua idem agit & patitur: hoc eſt, quando ad principale ſuppoſitum, ſubiectum ſiue baſem, fit regreſsio.

Duo ſunt pronomina Reciproca: alterũ primitiuum Sui: alterum poſſeſsiuum Suus, a, um.

Regula generalis.

1 Reci-

Reciproco pronoĩe nunquã Latinè utimur, nisi aliquod præcesserit nomẽ in eadẽ oratione aut altera unita per copulã ad quod referatur: ut, Puella sibi placet, Petrus odit suos, Vicinus rogat ut suo faueas filio, Orat ut ad se uenias.

Exempla de primitiuo Sui.

Cicero reminiscitur sui, Tenellus parcit sibi, Qui se diligit suisq; studet commodis κατ' ἐξοχὴν in re dicitur, Fruitur se, Loquitur secum, Agnoscit contemptum sui, Dicit te læsisse se: uel, quod læsisti se, Dubitant quid sibi expediat, Dedit quod erat sibi charissimum, Ita te amat ut se, Non magis alijs displicet eius negligentia quàm sibi.

Porrò in quibus alterũ interuenit uerbum, etiam per relatiua illa, Ipse, ille, & is, authores loqui deprehendas. Fab. in Declam. Non petit ut illum miserum putetis, nisi & innocens fuerit. Idem, Neque ignorauit quæ eum manerent pericula: quanquam Linacer, se, dicere quàm illum uel eũ maluerit, cũ nihil aliud sit ad quod reciprocum referri possit. Est tamen quando Amphibologiæ uitandæ causa, nonnunquam etiam uarietatis aut ornatus gratia, hisce relatiuis, Ipsius, eius uel illius, pro sui, & suus uti licebit: ut, Ille repetit quod suum siue ipsius est. Hæc q; in differentia fit sæpe interuentu præpositionis, sed crebrius per ipse quàm is. Fab. Quanquam aliqui reperiuntur, qui ne id quidem, quod in ipsos recidere posset, euitent. Vide Vallam.

Exempla de pronomine possessiuo Suus.

Cicero reminiscitur clientum suorum, Parcit erroribus suis & familiarium suorum, Auarus tenaciter rem suam diligit, Scripsit calamo suo, Percussisti illum gladio suo, Hortatur te redire, uel, ut redeas domum suam, Vidi hominẽ serentem agrum suum, Comitatus es illum ad ædes suas, Percontabor illum de regno suo, Cepi columbam cum pullis suis, uel in nido suo, uel extra uel prope uel iuxta nidum suum, & ita per omnes prępositiones: quamuis prępositione interueniente per genitiuos etiã illos, tertiæ personæ, eius, ipsius, illius, promiscuè loqui liceat; ut, Cepi columbã cũ pullis eius uel in nido eius. Hæc exẽpla subiecto Canone explicãtur.

2 Quoties transitus à tertia fit persona, non in seipsam, sed in aliquid, quod significatur ab eo possessum, dum in una clausula transitus fit, & uel altero, aut obliquo tertiæ personę, ad quẽ refertur possessio, aut uerbo interposito, tum uel participio uel præpositione intercedẽte, per possessiuum Suus loquendum est.

3 Quoties trãsitio fit ab eo, quod à tertia persona possidetur, ad ipsam, dum in una clausula ea transitio fit, per possessiuum Suus omnino etiã loqui cõuenit: ut, Indiget Ciceronis suus filius, illũ ulciscẽtur mores sui, Rumor est Cæsari insidiari familiares suos. In illa aũt & cõsimili, Rogat me Cicero, ut suus apud me habitet filius: ut per suus, ita per eius, illius, ipsius, loq possis.

4 Quo-

4 Quoties præpositionem Inter nominatiuus uel accusatiuus præcedit, Sui authores utuntur. Cice. lib. off. 1. Delectat hoc, quod inter se omnes partes corporis quodam lepôre consentiunt. Idem lib. off. 3. Damonem & Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse.

5 Cum præpositionem Inter genitiuus, datiuus uel ablatiuus antecedit, per pronomen Ipse loqui licebit. Cicero, Etiam ipsorum inter ipsos consensu. Fab. Grammaticis inter ipsos & philosophis pugna est. Idem, Nam magnis quoq; authoribus incidunt aliqua uitiosa & à doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa.

6 Cum in aliqua oratione & rectus & obliquus collocatur, si pronomen rectum respicit, reciprocum fit oportet: si uero obliquum, adiaphoron est, sed præstat uti Ipse aut Is quã Suus: ut, Misereatur nostri deus propter suam clementiam, Inclamat ante domum suam, Amabimus Christum propter bonitatem suam. Et Eius. Allocutus sum Petrum ante domum eius potius quàm suam.

7 Si in oratione obliquo adiectiuum apponitur, ad quod fiat reciprocatio, reciprocum excludi non potest. Reperi Tigridem iratam ob amissos catulos suos. Vidi Ioannem inerrãtem in domo sua, non eius.

8 Quoties inter obliquos coniunctio intercedit, reciproco locus non est: ut, Cepi ursum & catulos eius, non suos.

9 Quisq; & unusquisq; reciproco pronomine gaudẽt. Terẽt. Minime miror, si te sibi quisq; expetit. Quisq; sibi melius esse mauult quàm alteri. Vnusquisq; se quàm alium amari cupit.

10 Quando de duobus loquimur, pronomẽ reciprocum refert principale suppositũ, sed pronomen non reciprocum obliquum respicit: ut, Ioannes diligit Petrum & fratrem suum, Ioannis scilicet fratrem, Ioannes diligit Petrum & fratrem eius. Hæc Alexander Hegius.

Perf. sat. 5. Velle suũ cuiq; est

Suus possessiuum interdum non reciproce, sed pro eo quo est proprius accipitur: ut, Suus cuiq; mos est, Sua cuiq; sententia. Vergil. Trahit sua quenq; uoluptas. Idem, Phœbo sua semper apud me munera sunt. Sua cuiq; reddenda, &c. De reciprocatione pronominum Sui & suus, scripsit Valla opusculum 16. capitibus, ad Ioannem Tortellium.

Pronomina Demonstratiua, Hic, iste, ille, id discriminis habent. Hic demonstrat *mihi proximũ: iste, cũ qui apud te est indicat: ille qui apud* neutrũ nostrũ est, sed ab utroq; remotus. Eandem naturam aduerbia habẽt ab his pronominib. nata. Ab Hic, huc, hinc, hac, horsum: ab Iste, istic, isthuc, isthac, istorsum, istò: ab Ille, illic, illuc, illinc, illac, illorsum, illò. Vide Vall. lib. 2. ca. 4.

Hæc pronomina Ille & Iste priuatum usum habent. Priore quidem utimur cum ob dignitatem ac eminentiam rem omnibus notam demonstrare uolumus. Cicero, Nasica ille prudens,

dens, Alexander ille magnus. Posteriore uero cum alicuius rei mentionem cum quodam contemptu stomachóue facimus. Terent. Eunuch. scen. 1. act. 2. Munus nostrum ornato uerbis, & istũ æmulum, quoad poteris, ab ea pellito. Idem in eadẽ, Iste Cherea, Iste ephebus frater Phedrię.

Hæc relatiua Hic & Ille, cum ad duo anteposita referuntur, Hic ad posterius & propius, Ille ad prius & remotius referri debet. Plin. libro 8. cap. 47. Ouium ad summum genera duo, Tectum & Colonicum: illud mollius, hoc in pascuo elegantius.

Ille non raro cum Quidẽ coniunctione iungitur, cum quippiam cum exceptione quadam concedimus. Cice. li. off. 3. Ab optimis illis quidem uiris, sed non satis eruditis. Legitur tamen & sine exceptione.

Hic & Is eleganter post prouocabuli sensum adhibentur Sal. Scilicet quem res tanta atq; tam atrox non permouet, eum oratio accendet? Terẽ. in Eunucho, scen. 2. act. 4. Qui tibi nũc uidetur uir esse, hic nebulo magnus est, ne metuas.

Hic & Is post copulatiuam coniunctionem quasi in Epexegêsi relatiue ponũtur: ut, Alexander paruis copijs fretus, superauit Darium cum infinito exercitu, & id uel hoc in adolescentia. Vestis pauca, & ea quidem detrita & sordida. Paucis nummis superbit, nec his suis In quibus tamen ultimis proprium locum is habet, non hic. Vide Vallam lib. 2. cap. 5.

VERBORVM CONST. cum obliquis.

VERBORVM syntaxis cũ obliquis duplex est, Generalis scilicet siue Communis, & Propria.

Casus communes.

Generalis est in qua casus communes uerbis subijciuntur. Casus communes tres sunt, Datiuus, Accusatiuus & Ablatiuus temporis, Ablatiuus item instrumenti, materiæ, modi, actionis &c. *Sic dicti, quod omni uerborum generi ac item participijs à tergo adijci queant.*

Propria, est in qua casus proprij uerbis adhę rent. Casus proprij sunt quatuor, Genitiuus & datiuus, quibusdam uerbis peculiares: Accusatiuus omnibus actiuis: Ablatiuus cum præpositione passiuis omnibus proprius existit.

Porrò uerborum genera sunt quinq;, Actiuum, Passiuum, Neutrum, Deponens & Commune. Quæ omnia, aut actiue, aut passiue, aut neutrum, aut simul & actiue & passiue significant. *Et actiuum quidem actiue, passiuum passionem denotat.*

Neutrum aut suã aut actiui significationem obtinet: Suam, ut sto, sedeo; actiuam, ut aro, bibo, curro, uiuo. Deponens modo actiui ut loquor, modo passiui ut nascor, modo neutri significatum habet, ut philosophor. Commune uero tum agentis, tum patientis significationem assumit: ut, osculor te, osculor à te.

Sunt rursus uerba duplicia, Personalia uidelicet

licet & Impersonalia. Quæ quidē omnia cuiuscunq; sint nomenclaturæ, constructionem usurpant aut generalem aut propriam, eamq; uel intransitiuam uel trasitiuam, & hanc uel simplicem uel compositā, iustā deniq; aut figuratam.

De his igitur omnibus ordine, qui tū in docēdo, tum in discendo, optimus est, scribere placuit, quo memoriæ iuuentutis grammaticæ artis studiosæ nonnihil consultum fuerit. Et primum, personalium syntaxim iustā, propriam, transitiuam & simplicem per quinq; uerborum genera: deinde compositam, mox generalem, ab hac participiorū, gerundiorū, ac supinorum in oratione contextum, tum impersonalium, proximum ab his Syncategorematum, hoc est partium orationis indeclinabiliū structuram, postremo constructionem figuratam prosequamur.

ACTIVI CONSTRVctio cum Accusatiuo.

1 Omne uerbum actiuum, qua utiq; est actiuum, in accusatiuum patientis personæ transit: ut, Musicam docet amor. Gregarius miles hastam abiecit. Accipit & glebam erro. Hæc particula, qua utiq; est actiuū, inserta est, quod actiua sæpenumero cum actum in supposito subsistentem significant, absolute enunciantur: ut, Cæci uident, Surdi audiunt, Pamphilus amat, Præceptor sedulo docet, &c.

CONSTRVCTIO PASSIVORVM constructio.

1 Verba passiua, in ablatiuos agentis cum à uel ab præpositione transeunt. Horat. Laudatur ab ijs, culpatur ab illis.

2 Verba passiua aliquando, sed participia eorum frequentius, loco ablatiui datiuum Græco more usurpant. Verg. Nec cernitur ulli. Cicero, Honesta bonis uiris, nõ occulta petuntur. Ver. Aen 1. Nulla tuarum audita mihi nec uisa sororum. Ouid. lib. 6. Fab. 1. Tibi fama petatur. Idẽ lib. Trist. 1. eleg. 4. Nec noscitur ulli.

3 Verba passiua infinitiuum nonnunquam, modo ante se & nominatiui loco, modo post se recipere possunt. Plin. Locustas pennarum attritu sonare creditur. Iuuen. Contemnere fulmina pauper creditur. Prior modus in posteriorẽ, & posterior in priorem uerti potest: ut, Locustę pennarum attritu sonare creduntur: &, Creditur pauperem fulmina contemnere.

4 Videor passiuum infinitiuum tantũ à tergo admittit. Terẽ. in Eunucho, scen. 5. actus 4. Multo formosior uidere mihi quàm dudum. Priscianus hoc significatu absolutũ uocat, pro δοκῶ Græce.

NEVTRORVM constructio.

Verba neutra aut absolute proferũtur, ut sto: aut actiue, illa uidelicet quæ tertiam utriusq; numeri personam in uoce passiua admittunt: aut passiue

passiue denique, ut sunt uerba neutropassiua.

1 Omnia uerba neutra, cũ nominatiuo à fronte, per se sensum absoluunt, nec transitionẽ propriam faciunt: ut, Palleo, pallesco, nauseo, ructo, curro, ambulo, iaceo, sto. Pluit cum ablatiuo iunctum legitur, sed rei quæ alienæ sit significationis. Plin. lib. 2. cap 58. Relatum est in monumenta, lacte & sanguine pluuisse. Ita Liuius. Rorat cum Accusatiuo. Plin. Mirumq; dictu periculum eo die est, si rorauerit quantulamcunq; imbrem, aut si afflauerit.

2 Quædam uerba neutra in infinitũ modum ferri uidẽtur: ut Cesso, perseuero, desino, & pergo pro perseuero. Terẽt. Cesso huc introrumpere? Idem. Pergin sceleste mecum perplexe loqui? Idem, Et desinant maledicere.

3 Verba quædam neutra metaphorice sumpta, accusatiuum asciscunt: ut, Quanto tu ore patris laudes tonas? Vergil. Eclo. 2 Formosum pastor Corydon ardebat Alexim. Horat. Fata manent omnes. Vergil. Nec inundat sanguine fossas. Item, Sapit acustionem, Olet lucernam, hircum, unguenta, Spirat Germaniam, Vox nõ sonat hominem, Vineta crepat mera, Viuunt Bacchanalia, &c.

Perf. sat. 1. Nec demorsos sapit ungues Idem in eadem: Tunc Sapinus patruos. Sat. 5. Recutitaq; sabbata palles.

4 Verba in simplici neutra, in compositione quãdoq; præpositionis casum à tergo usurpãt. Terent. in Ecyr. Quum limen exirem. Luca. Exeat aula, qui uult esse pius. Vergil. Quamuis multa meis exiret uictima septis. Idem, Adit

Nota Quãdoq; dici, non Sẽper.

oppida pastor. Idem, Talibus aggreditur Venerē Saturnia dictis. Statius, Campū exire uetat.

5 Verba absoluta siue neutra, quæ passiuam interpretationem in tertia persona recipiūt, accusatiuum rei inanimatæ admittunt: ut, Bibo uinum, Rustici arua maligna maligne arant.

6 Verba absoluta, quibus intra ipsa finita significatur actio, accusatiuum recipere possunt, sed eius rei quæ uel cognatæ significationis sit, uel ad huiusce significati mensuram pertineat: ut, Curro cursum, Viuo uitam duram, Curro multum, Quantum percurristi? percurri stadiū, Nestor tres uixit ætates, Veredarius longam uiam equitauit, Errones incertum iter ambulant, Viam iuit salebrosam, Qui peccato seruiūt, duram, miseram & calamitosam seruitutem seruiunt. Latinos Atticā hic phrasim imitatos credo, qua, cuiuis uerbo Accusatiuum nominis ab eo deducti adglutinant: ut, μάχομαι μάχην, λοιδοῦμαι λοιδορίαν, ζῶ ζωήν, &c. Accusatiuus tamen ille in ablatiuum authoribus sæpe mutatur: ut, Diu uideor uita uiuere, Ire recta uia, Morte obijt repentina.

7 Hæc uerba neutralia passiua, Exulo, uapulo, ueneo, liceo, quibus additur Fio, ablatiuum cum à uel ab præpositione passiuorum instar admittunt: ut, Scholasticus cessator à præceptore uapulat. Philosophia cum suis alumnis, honestate uidelicet, modestia, sobrietate simul & pietate, nostro tempore à sacerdotum conuiuijs exulant. Fab. Fabricius respondet se à ciue spoliari

liari malle, quàm ab hoste uenire. Cicero, Tacitus uero ille finis teterrimus, ut quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis.

Legũtur hæc & sine ablatiuis à tergo. Iuuen. Si rixa est, ubi tu pulsas, ego uapulo tantum.

8 Complura uerba neutra in datiuum feruntur: ut sunt, Parco, obedio, seruio, inseruio, placeo, displicio, obtempero, satisfacio, bene & male facio, acquiesco, subuenio, succurro, occurro, obsisto, obstrepo, reclamo, obsto, repugno, faueo, studeo, aspiro, noceo, officio, adsto, hæreo, incumbo, impendet, imminet, tempero pro moderor, propinquo, fido, confido, inuigilo, insto, succenseo, præsideo, præsto, prævaleo, præniteo, bene et male dico, consulo pro consilium do & prospicio.

9 Quibus neutris spacium interuallúmue significatur, hæc accusatiuum sibi subiiciunt eius dictionis quæ spacij uel interualli mensuram significat: ut, patet, distat, abest, cum synonymis: ut, *Patet tres ulnas*, *Constantia à Rauenspurgo abest iter unius diei*, *Thermæ Heluetiorum miliare unum à Tiguro distant*. Cicero ad Tyronem, Is locus est citra Leucadem stadia centum uiginti.

Idem Accusatiuus & actiuis passiuisq; aliquando succedit, interim etiam cum præpositione In. Colum. Campestris locus, alte duos pedes & semissem infodiendus est, accliuis regio tres, præruptior uero collis uel in quatuor

pedes uertendus. Hoc & per ablatiuũ non raro authores interpretantur: ut, Nouem iugeribus distat ab urbe. Longis inter se passibus absunt.

10 Hæc neutra, Fluo, affluo, abundo, exubero, gaudeo, careo, egeo, indigeo, supersedeo, ablatiuum asciscunt: ut, Frumento affluit, fluit melle, abũdat uicijs, exuberat pomis hic annus. Ouid. lib. 15. Meta. Fab. 3. Morte carent animæ. Terent. Vt malis gaudeat alienis. Ouid. Arte egeo nulla. Valer. Max lib. 7. Themistocles dicebat, Malo uirum pecunia, quàm pecuniam uiro indigentem.

Ex his nonnulla & gignendi casum admittũt. Terẽ. And. Quasi tu huius indigeas patris.

CONSTRVCTIO uerbi Sum.

1 Verbum subsistendi Sum, in patrium casum fertur eius rei quæ possidentis rationem exhibet: ut, Pecus est Melibœi. Exhibet autem possidẽtis personam, quicquid, modo loqui possit, de præcedente appellatiuo uel proprio possessiuum pronomen, meus, affirmare potest. Ita Melibœus potest dicere, Pecus est meum.

2 Sum pro habeo, datiuum assumit. Verg. Est mihi domi pater, est iniusta nouerca. Idem, Est mihi disparibus septẽ compacta cicutis Fistula.

3 Sæpe subsistẽdi uerbum Sum duos datiuos admittit, alterum personæ, alterum rei personæ accidentis. Est mihi uoluptati, curæ, usui, honori, infamiæ, &c.

4 Est

4 Est quãdo Sum datiuo solo accõmodatur: ut, Exẽplo est regulus, Ea res quęstioni diu fuit.

5 Verbum substantiuum Sum, sæpe orationẽ post se adiectiualem admittit in auferendi casu, dum quippiam laudis uituperijue significatur: ut, Cæsar erat procero corpore & acri ingenio. Teren. Forte unam aspicio, adulescentulam, forma & uultu Sosia adeo modesto, adeo uenusto, ut nihil supra. Vide Vallam lib. 3. cap. 17. Et supra in Ablatiui Syntaxi Canone 10.

6 Verba à sum composita, præter possum, datiuum recipiunt: ut sunt, Adsum, absum, desum, insum, intersum, præsum, prosum, obsum, &c. ut, Adfuit mihi, Interfuit huic negocio &c.

DEPONENTIVM constructio.

1 Deponentium uerborum quæcunq; actiuę significationis sunt, Actiuorum iure, in accusatiuos personæ patientis transeunt. Talia sunt, Aucupor, alloquor, cõsolor, deprecor, æmulor, fateor, furor, gratificor, hortor, imaginor, lucror, metor, miseror, nanciscor, operior, percontor, queror, reor, solor, truncor, uenor, &c.

2 Deponentiũ uerborũ quædam infinitum post se recipiũt: ut, Molior, ĩficior, reor, opinor, uereor, hortor, gratulor. Verg. Hortamur fari.

3 Hæc duo reminiscor, & obliuiscor, in genitiuũ uel accusandi casum transeunt: ut, Reminiscor patriæ & patriam, Obliuiscor tui & lectionem. Misereor uero in genitiuum: ut, Miserere

Additur memoror.

laborum. In dandi casu rarissime. Cice. Tusc. Patris pestibus miserere.

4 Deponentia neutra & absoluta, quoniam significato suo auditori satisfaciunt, nominatiuo à priori contenta, casum in transitione non exigunt. Talia sunt, Altercor, aurigor, bacchor, cachinnor, crapulor, concionor, cunctor, consabulor, congredior, digladior, digredior, defetiscor, expergiscor, exorior, epulor, fabulor, frumentor, gradior, gesticulor, grassor, ingredior, iocor, lachrymor, lignor, labor, luctor, meridior, nictor, nugor, nascor, orior, obsonor, progredior, proficiscor, poetor, prælior, pergręcor, prophetor, præuaricor, renascor, ratiocinor, reuertor, rhetoricor, rixor, rusticor, scortor, spacior, sermocinor, tumultuor, tristor, uersor, uilicor, uerecundor, uociferor, uelitor.

5 Complura deponentiũ neutrorum in Datiuum transeunt. Talia sunt, Auxilior, assentior, assentor, adûlor, aduersor, blandior, dominor, fœneror, famulor, grator, gratulor, insidior, irascor, lenocinor, medeor, moderor, medicor, quod & accusatiuum recipit. Minor, minitor, obsequor, palpor, refrâgor, suffragor. Adulor & cum accusatiuo legitur. Tacit. Tigillinũ aut quem alium potentium adulatus est. Et in actiua uoce, Valer. Max. Si Dionysium non adulares, illa non esses. Cuius passiuũ Cicero in off. posuit. Nec inquit adulari nos sinamus. Palpo quoq; & palpor, accusatiuo fungitur. Gratulor quoq;

quoq; cum accusatiuo legitur. Cice. Et uoce maxima uictoriam gratulatur. Et gratulor aduentum tuum filys.

6 Hæc deponentia, Vtor, abutor, furor, fruiscor, pro fruor, fungor, defungor, uescor, potior, delector, lętor, in ablatiuum feruntur. Metell. Domit. Ego neq; aqua neq; igni careo, sed summa gloria fruiscor. Cicero Lætor etiam accusatiuo iunxit. Ad Marium, Vtrunq; lætor, & sine dolore corporis te fuisse, & animo ualuisse.

COMMVNIVM constructio.

Verba Communia, ut actiuorum passiuorumq; significationem obtinent, ita utriusq; generis constructionem sibi uendicant: ut, Præceptor interpretatur grammaticam. Grammatica à præceptore interpretatur. Huius generis pauca à Grammaticis notãtur, hæc, Criminor, experior, hortor, interpretor, largior, moror, osculor, ueneror, stipulor, quibus annumeratur fungor, cuius passiua significatione Columella usus est. Non solum superficiem suam facile substinebunt, sed & pro fultura & substratione fungentur, &c.

HACTENVS uerborum primas & simplices transitiones per quinq; uerborum genera perstrinximus, deinceps geminatas siue diabaticas referemus, quæ tamen in uno actiuorum genere maxime spectantur.

CONSTRVCTIO ACTIuorum Dabatica siue Composita,

1 Verba accusandi, damnãdi, absoluendi, admonendi & consimilia, præter accusatiuum, in genitiuum feruntur qui crimen significat: ut, Arguis me impudentiæ ipse impudentissimus. Cic. pro L. Syl. Qui alterum coniurationis accuset. Cic. Quid quod Pop. Rom. minus diligẽter sibi constituit defensorem quàm tu tibi, cum te furti L. Calenus ageret? Teren. Hic se furti alligat. Cic. de off. Ne quem unquam innocẽtem iudicio capitis arcessas, Plaut. Pœnu. Homo furti se astringet. Cic. ad Tyronẽ, Etiam sceleris cõdemnat generum suum. Damnauit hominẽ incestus. Plaut. Qui alterũ incusat probri, ipsum se intueri oportet. Terẽ. Phor. scẽ. 3, act. 2. Si herũ insimulabis auaritiæ, male audies. Suet. in Cæsare, Consularem & triumphalem uirũ repetundarũ postulauit. Liuius, Latæ deinde leges, quæ consulẽ regni suspicione absoluerẽt. Detulit fratrem lesæ maiestatis. Appellauit uxorẽ ueneficij. Suggillas herũ parsimoniæ, &c. Admoneto illum pristinæ fortunæ. Commonefacito debitorem promissi. Commonui creditorem debiti.

2 Quędam criminalia uerba pro genitiuo interdum ablatiuum, modo cum, modo sine prępositione usurpant, Cice. ad Curion. Quare si in me iniquus es iudex, condemnabo ego te eodem crimine. Q. Curtius, Is quoq; insulas prædicitia

dicitia grauiter accusauit. Damnauit illũ de pecunijs repetundis. Notauit adulescentem libidinis, seu de libidine. Admoneo te huius rei, & de hac re.

3 Verba accusandi & criminandi certa quędã nomina non nisi in ablatiuo admittunt. Qualia sunt huiusmodi partitiua, Vterq;, neuter, nullus, alter, alius & ambo: quibus fortasse accedunt & superlatiua: ut, Accusásne hunc furti, an sacrilegij, an utroq; uel ambobus, uel neutro? Item, Accusásne hunc furti, an sacrilegij, an incesti, an omnibus, an nullo, uel an maximo ex his? Vide Vallam lib. 3. cap. 32.

4 Nonnulla actiua cum accusatiuo etiam datiuum recipiunt, sed eius rei quæ ad quæstionẽ cui apte redditur: ut, Confero, comparo, do, reddo, impero, præcipio, ueto, prohibeo, nuncio, indico, uindico, addico, mitto, remitto, appono, obijcio, spondeo, promitto, submitto, subijcio, cum synonymis. Item dedo, deuoueo, præpono, antepono, loquor, fatur, testificor, polliceor, gratificor, &c. ut, Loquor, fatur, testificor, polliceor, gratificor hæc amicis.

Quædam ex his prædictis pro datiuo accusatiuum cum ad recipiunt: ut, Scribo, rescribo, mitto, remitto, epistolam tibi siue ad te.

5 Verba docendi, rogandi, uestiendi & eis tũ similia tum contraria, geminum accusatiuum admittunt, alterum quidem personç, alterum uero rei. Cuiusmodi sunt, Doceo, erudio, edoceo,

peto, posco, reposco, postulo, rogo, oro, exoro, obsecro, precor, exigo, exuo, celo, induo, percõtor, admoneo, hortor, moneo: ut, Dedocebo te istos mores. Verg. Pacẽ te poscimus omnes, &c. Supplico datiuum solum habet.

Sunt ex his non pauca, quæ accusatiuum rei in ablatiuum uertunt, modo cum prępositione, modo absq; ea: ut, De hoc me celasti. Exuit militem chlamydem uel chlamyde.

6 Verba, quæ uocãdi actiua uocantur, & cũ his facio, præsto, creo, censeo, iudico, decerno, & id genus alia, duos eiusdem personæ accusatiuos recipiunt: ut, Vocas me Didymum, Nomino te nebulonem, Præsta te uirum, Facio te arbitrum, &c.

7 Sunt quędam actiua, quæ accusatiuum ablatiuo excipiunt. Qualia sunt, spolio, priuo, emungo, uiduo, sepono, onero, exonero, fraudo, leuo, uacuo, impartio, participo, impleo, compleo, expleo, imbuo, instruo, libero, munero siue muneror, dignor, afficio, prosequor, cõmunico, saturo, expedio, oblector, delibuo, abdico, conficio & conficior. Verg. Postquam illum uita uictor spoliauit Achilles.

8 Quædam ex prædictis loco ablatiui genitiuum assumunt Hæc res uitæ me soror saturãt. Plautus, Paternum seruum sui participat consilij, &c. Libero etiam cum ablatiuo & præpositione interueniente: ut, Libero te à calumnijs.

9 Verba actiua, quæ prælationẽ excessúmue signi-

significant, super accusatiuum in ablatiuũ transeunt, sed eius rei uel quæ mensuram excessus demonstrat, uel in qua prælatio aut excessus est: ut, Præfero hũc multo, Præcellit illũ uirtute, &c.

10 Verba actiua, quæ ablationem separationémue indicant: item quibus aliquid peti interrogariue significatur, præter accusatiuũ, ablatiuum etiam cum præpositione à uel ab aut simili, syncategorematice suscipiunt. Prioris uerba sunt, Aufero, eripio, adimo, auello, furor: ut, Aufero à te pecuniam. Ablatiuus tamen in datiuum mutari potest: ut, Adimo tibi. Posteriοris uerba sunt, Peto, posco, postulo, rogo, oro, quæro, flagito: interrogo à te, quæro ex te hanc rem. Adduntur ex deponentibus duo, Scisciτor & percontor à te.

Obseruatio.

Verba quædam posterioris ordinis pro ablatiuo accusatiuum habent per quintam geminatæ syntaxeos regulam. Verg. Tu modo posce deos ueniam.

PASSIVORVM GEMInata constructio.

Verba passiua casum actiuorum suorum in diabasi positum mordicus tenent, exceptis ijs quæ uocandi actiua uocantur: ut, Accusaris à me furti, Verres ista damnatur à iudice de pecunijs repetundis, Accusatús ne est homo iste triũ literarum furti, an sacrilegij, an utroq? Redduntur nobis à te literæ. Doceor à præceptore gram

maticam. Spolior à commilitone chlamyde. Verg. Implentur ueteris Bacchi, pinguisq; ferinę. Superaris ab hoc multo, Aufertur à te uestis, Petor à te ueniam.

DE DVOBVS DATIVIS.

Multa uerba duos datiuos alterum personæ, alterum rei admittunt: ut, Do tibi pignori, Vertis mihi uitio, Tu id tibi laudi ducis, Postulat id sibi apponi gratiæ, Dono mihi dedit, Tibi hæc res honori ducitur.

Est quando datiuus personæ omittitur: ut, Datur nuptui, Cano receptui. Interim datiuus rei per propriũ uerbi casum explicatur: ut, Do tibi pignus. Hunc etiam per in uel ad cum accusatiuo interpretantur aliqui: ut, Do tibi in pignus, Habes me despectui, habes me in despectum. Apponi gratiæ, pro in siue ad gratiam. Ita Donatus in Scenam 1. actus 2. And.

GENERALIS OMNIVM VERborum constructio. *In Datiuum.*

1 OMNE uerbum in Datiuum ferri potest eius personę, in cuius gratiam uel commodum uel horũ contraria uerbi actio cedit. Ver. Buc. Nescio quis teneros oculos mihi fascinat agnos. Idem Aeneidos 1. Post mihi non simili pœna commissa luetis. Iuuen. sat. 6. Mœchis foliata parantur. Terent. Adelph. scen 2. actus 1. Si quid peccat Demea, mihi peccat, &c. Persius sat. 3. Tibi luditur.

Veteres hunc datiuum per in gratiam, in honorem,

norem, uel in detrimentum, sæpe interpretantur. Verg. Georg. Cuncta mihi Alpheum linquens lucosq; Molorchi, id est in meã gratiam uel honorem. Idem in Buc. Cui pendere sua patereris in arbore poma, id est in cuius gratiam siue honorem, &c.

In Accusatiuum uel Ablatiuum Temporis.

1 Omni uerbo succedit accusatiuus uel ablatiuus, dictionis qua tempus rei gerendæ continuatum necessario significare uidetur, & ueluti ad quæstionem Quandiu reditum ponitur. Verg. Hic iam tercentum totos regnabitur annos. Cicero pro reditu suo, Qui totos dies de officio & de uirtute disserunt. Plin. Sub arctico uertice nemo sex mensibus uidet solem.

Digladiatione, imo ἄσπονδον πόλεμον, eruditorum de cõtinuo ac interrupto tempore, si nosse cupis, legito Nonium Marcellum & Laurentium Vall. lib. 3. cap. 53. huius Latini certaminis authores, tum Ioannem Despauterium Niniuitam, & Dionysium Nestora, &c.

2 Dictio qua tempus rei gerendę indicatur, si ueluti ad quęstionẽ Quando redditur, cum uerbis in ablatiuo plurimum usurpabitur: ut, Veni hora prima, Superioribus diebus ad me uenit.

In hunc etiam modum promiscue loquimur præpositione adhibita: ut, Veni ad statutũ diem & in ipso tempore. Sic dicitur, Memoria nostra, uel, Memoria patrum nostrorum hoc contigit.

In Ablatiuum.

1 Omne uerborum genus ablatiuo iungi potest, eius rei quæ instrumenti, materiæ, modi uel causæ rationem obtinet: ut, Cædo illum uirgis, Coercior uinculis, *Alo lacte*, Saturo te pulte, Premor onere, Placeo *illis* obsequio, Verberat hunc odio, Non donat *penuria*, Non prodit pudore. Ita & illa, Gaudeo, delector, lætor, tuis commodis.

Instrumenti ablatiuus Præpositionem omnino abhorret: *materiæ* autem, *modi* & causæ aliquando eã assumit: ut, Myropôla uarijs herbis, *siue cum uel ex uarijs herbis*, malagmata temperat. Corona muralis auro siue ex auro concinnabatur. Legatus regius cum celeri festinatione, siue celeri quàm potuit festinatione, Tigurum petijt. Consul mira affabilitate, *siue cum mira affabilitate*, me allocutus est. Vide Val. lib. 2. cap. 6.

Porrò ablatiuus Comitis, absq; comite præpositionis Cum nusquam *in publicum* prodit: ut, Veneti cum Cæsare Karolo cum Turca hoc anno terra mariq; manus cõseruere, Præ pudore loqui non ausit, &c.

2 Omnia uerba ablatiuum sibi subijciũt eius rei quæ pretij siue certi siue incerti rationem obtinet. Verg. Aen. 6. Vendidit hic auro patriam. Liuius, Multo sanguine ac uulneribus ea Pœnis uictoria stetit. Pers. sat. 5. Et centum Græcos uno cẽtusse licetur. Mar: Paruo cum precio diu liceret.

licerer. Magno emit, paruo reuendidit. Vall. lib.3.cap.1.

Verbis emptionis ac similibus caue Pro addas. Perperam enim dixeris, Emi pro tribus asibus.

3 Hæc adiectiua, Tantum, quantum, minus, quantumuis, quantumlibet, quantumcunq;, & tantumuis, si appellatiuum precij secum habẽt, quibuslibet uerbis in ablatiuo accommodantur: ut, Tanto precio emi, quanto tu. Minori precio uendidi quàm emi. Tanta mercede docuit, quanta hactenus nemo.

4 Dictio, qua pondus liquidiue mensura significatur, uerbis in auferendi casu à tergo cohæret: ut, Archiatrus ęgroto potionem quatuor drachmis uno haustu exhauriendam porrexit, Plin. Aristolochia obolis ternis ex aqua calida aut lacte asinæ pota.

COMMVNIS VERBORVM constructio in urbium & oppidorum nomina.

In Genitiuum.

GENITIVI urbium & oppidorum primi uel secundi declinatus & singularis numeri, quibuslibet uerbis, uelut in loco significantibus, cohærent. Et ad quæstionem Vbi referuntur: ut, Studui Viennæ & Basilcæ, Fui Tiguri, Sum Rauenspurgi, Natus sum Vangij. Hi genitiui Domi, militiæ, belli, humi, horũ naturam

imitantur: ut, Domi militiæq; simul uiximus. Inter hos genitiuos domi, quinq; tantum pronomina, meæ, tuæ, suæ, nostræ & uestræ: unum etiam nomen Alienæ iungi secũ patiuur: ut, Versor domi meæ. Vall. lib. 3. cap. 15.

In Accusatiuum.

Vrbium & oppidorũ accusatiui, uerbis motum quendam ad locum significantibus citra præpositionem adhærent. Hæc ad quæstionem per Quo factam redduntur: ut, Eo Mediolanũ, Redeo Viennam, Turca rediit Salinum repeturus Viennã. Adduntur appellatiua duo, Rus & Domus: ut Ego rus ibo. Ouid. Quo ruitis? Vestras quisq; redite domos. Verg. Ite domum saturæ uenit Hesperus ite capellæ. Confero, recipio me domũ. Aliquando præpositio adiuncta legitur per pleonasmum: ut, Ad Cordubam se recepit.

In Ablatiuum.

1 Vrbium & oppidorũ nomina pluralis duntaxat numeri, aut tertiæ declinationis, uerbis uelut in loco significantibus, prosa quidẽ scribentibus in datiuo, poetis uero in ablatiuo succedunt. Plin. Cum spectare antiqui moris supplicium Tiburi concupisceret. Cice. ad Att. Sextũ nunciauit cum una sola legione fuisse Carthagini. Liuius, Neglectum Anxuri præsidium. Teren. Phor. scen 3. actus 2. Ruri ferè se cõtinebat. De ablatiuo, Hora. Romæ Tibur amem, uentosus

tosus Tibure Romam. Ver. Aen. 4. Tyria Carthagine quę nunc Expectat. Perſ. Rure paterno Eſt tibi far modicum. Non tamen infrequens eſt eorum uſus in ablatiuo etiã apud oratores. Cice. Sepultus eſſe dicitur Lacedæmone, &c.

2 Verba, quæ ueluti motum à loco ſiue per locum ſignificant, ablatiuos urbium & oppidorum abſq; præpoſitione admittunt. Politia. lib. 6. epiſt. 3. Vt qui Bononia Florentiam ueniunt. Diſceſsit Auguſta. Rure reuerſus eſt. Domo abijt. Cæſar Carthagine mouit. Quæſitiua Vnde & Qua.

3 Omne uerborũ genus accuſatiuos uel ablatiuos admittunt nominum regionum ac prouinciarum, præpoſitione perpetuo intercalata: ut, Cæſar nauigauit in Italiam. Ductauit exercitum in Africam. Adduntur appellatiua locorũ: ut, Milites primipilares intra urbis pomerium acriter pugnant.

Vt Telicon.

4 Nullum uerbum eſt, quod ſenſum, Vt uel Quo coniunctionibus ſubiectum, telicôs admittere poſt ſe non poſsit: ut, Doceo Grammaticam, ut alij diſcant, Doceor Grammaticã, quo emendate loquar. Adſum ut doleas, Surgo ut ſedeas, Ipſe ſeruio, ut tu ſis liber.

VERBA CONTRACTVVM.

Cõtractuum uerba (forenſia nominare licebit) ſunt quæ emere, uendere, locare, conducere,

oppignerare siue repignerare, & similia significant. Qualia sunt, Addico, æstimo, cõparo, commuto, commerceor, conduco, coêmo, constat, distraho, diuendo, emo, fœneror ad fœnus accipio, fœnero ad fœnus do, indico pro æstimo, inscribo, loco, liceor, licitor, mercor, metior pro æstimo, oppignero, repignero, reuendo, paciscor pactus sum, pango pepigi, uenũdo, ueneo, ualet, &c.

1 Verba forensia siue contractuum, præter casum primæ transitionis, hos adiectiuorum genitiuos, tanti, quanti, pluris, minoris, quantiuis, quantilibet, quanticunq;, tantiuis & tantidem, appellatiua adhibita non habentes, recipiunt: ut, Res tanti ualet, quanti uendi potest. Exempla abunde reperies in prophano Erasmi conuiuio, Linacro & alijs.

2 Pauci appellatiuorum genitiui sunt, scilicet, flocci, nauci, nihili, lucri, pili, assis, qui post non multa uerba pretij rationem habent: ut, Flocci facio, nihili pendo, unius assis æstimo.

3 Verba æstimandi, genitiuis adhærescũt: ut, Parui ducitur probitas, Plurimi fit pecunia, Maximi penditur nobilitas. Nihili uel pro nihilo grammatica penditur, Nihili uel pro nihilo habentur literæ, &c.

Reliquorum ab indicatiuo modorum participialium ac participiorum constructio.

Regula Generalis.

1 Indi-

1 Indicatiui constructionem tota uerbi declinatio, item participia proprie dicta, & participialia uerba sibi uendicant.

PARTICIPIORVM constructio.

PARTICIPIA utranq; cõstructionem sibi defendunt tautoprosopicen: ut, Mœcenas edite regibus. Et res audita mihi, non credita. Et Metabaticen: ut, Amans uirtutem, Superaturus hostem, Auditus & audiendus à me & mihi, Paratus decernere, Volens obire, Vadens uisum.

2 Duo ablatiui consequentiæ, alter nominis, alter participialis uel positus uel subauditus, rectum cum uerbo finito sibi reddi postulant: ut, Karolo quinto regnante Roma à Germanis ac Hispanis capta est. Ferdinando rege Pannoniæ à Turca misere uastatæ sunt.

2 Aliquando solum participium in cõsequentiæ ablatiuo, sed in præterito ac neutro genere, legitur. Plin. De satu arborum abunde monstrato, Sallust. Audito regem in Siciliam tendere.

Soluitur ablatiuus participialis per cũ, dum, si, quanquam, quamuis, postquam, uel cum pro postquam, pro conditione materiæ. Et per equàm per i potius efferendum esse Laurentius contra Raudensem censet.

3 Hæc participia præteriti temporis, Exosus, perosus, pertæsus, in accusatiuum feruntur: ut,

Astronomus exosus ad unum mulieres, Pertæsus ignauiam suam, Immundã segniciem perosæ. Perosus & exosus etiam cum dandi casu leguntur: ut, Germani Romanis perosi sunt. Exosus deo & sanctis.

Isthæc participia præteriti temporis, Natus, prognatus, satus, cretus, creatus, ortus, editus, captus, & contentus, in ablatiuum absq; præpositione Græco more transeunt: ut, Terra editus. Teren. Phor. scen. 2. actus 1. Bonam bonis prognatã. Verg. Satæ sanguine diuum. Idem, Quo sanguine cretus. Ouid. Venus orta mari, mare prçstet eunti. Mente & oculis captus, per Synecdochen dicitur. Paucis contentus. Hoc & in genitiuum fertur. Liuius, Contentus libertatis.

GERVNDIORVM constructio.

GRAMMATICI Neoterici duo gerundiorum genera faciunt. Alterum quidem gerundium proprie: alterum uero gerundiuum nomen: Hoc per omnes casus & genera in utroq; numero inflecti, ut participia in dus, da, dum: illud tres tantummodo terminationes sortiri, di, do, dum, & à tergo suorum obliquos uerborum usurpare.

REGVLAE.

2 Gerundiua nomina, substantiuis adhibita, cũ ipsis in genere, numero & casu concordant: ut, Delectatio fruẽdi principatus, fruendæ prouinciæ,

uinciæ, fruendi imperij, Molestia educãdorum filiorum, locandarum filiarum, colendorũ prędiorum. Voluenda dies en attulit ultro. Vergil. Vall. lib. 1. cap. 27. Voluenda hoc loco est præsentis temporis uerbi pasiui, teste Linacro.

2 Gerundia perquam uenuste in nomina gerundiua uertuntur: ut, Venio causa uisendi te, uisendi tui, Vaco agro colendo, uineę pastinandę. Curaui literas mittendas. Iuuentus à præceptore ad bonas literas perdiscendas hortetur.

In Di.

3 Gerũdi modus genitiui casus in Di post appellatiua & quædam adiectiua succedit, ut, Efferor studio uidendi uestros patres. Cicero, Hic dies attulit initium dicendi quæ uellem. Adest causa scribendi, Facta est huic copia conueniendi hominem, In arte dicendi Cicero primas tenet, Cupidus uisendi te, Ignarus bellandi, Certus eundi, Imperitus nauigandi. His & similibus *infinitiuus loco gerundij* apponitur. Verg. Et iam tempus equum fumantia soluere colla. Idem, Studium quibus arua tueri. Peritus meditari. Geor. 2. in calce.

In Do Datiui casus.

Gerundium dandi casus in do, datiuum uendicat: ut, Pauperi soluendo non sum. Diuites oneri ferendo sunt. Plin. li. 11. ca. 2. Telum perfodiendo tergori, Perpetiendo labori idoneus. Medicamentũ puri mouẽdo. Interim fine tran- Colũ. li. 1. cap. 9. Plin. li. 11. cap. 2. de culice. schnaggẽ.

sitione construitur: ut, Tu soluendo non eras, Fodiendo acuminatum, Sorbendo fistulosum, Inficiando reus, Nubendo maturuit.

In Dum casus nominandi.

Gerundi modus nominandi casus in dum, additur substantiuo Est, absque Præpositione, cum necessitatem significamus: ut, Vigilandum est ei qui uincere cupiat, Gaudendum est illis, Seruiendum est mihi amicis, Gaudendum est nobis hac re, Vtendum est mihi hac ueste. In posterioribus exemplis, præter datiuum omnibus uerbis communem, suorum uerborum casus admittunt.

In Dum Accusatiui casus.

Gerũdium accusatiui casus in Dum quatuor præpositionibus, ad, ob, inter, & ante, succedere solet: ut, Locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus. Inter cœnandum hæc dixit. Ob absoluendum acceperas. Ante domandum ferox. Verg. Georg. 3.

Cicero.
Cicero.

In Do Ablatiui casus.

Gerundi modus auferẽdi casus in Do, præpositionibus, in, de, è, ex, à, ab, cum, et pro subijcitur. In denegando, in confitendo, in tribuendo suum cuiq; De transeundo in Epirum, Ex defendendo quàm ex accusando uberior gloria comparatur. Cicero, Amor & amicitia, utrunque ab amando dictum. Ignaui à discendo deterrentur. Recte scribendi ratio iuncta cum loquendo

Cicero ad Atticum.

Fab.

loquendo est. Pro uapulando ab hoste mercedem petam.

2 Gerundia in do, modo actiue, modo passiue sumpta, uerbis citra præpositionem cohærent. Vergil. Alitur uitium, crescitq; tegendo: id est, cum uel dum tegitur. Idem, Vritq; uidendo fœmina. Idem, Cantando rumpitur anguis. Actiue, Cantando tu illum? Tacendo refellis. Scribendo scribere discis. Romanus sedendo uincit. Hic in actiuo & neutrum intelligitur.

Plautus. Aulu. Eras. Apoph. 6. li. 2. Vrget improbe postulãdo.

SVPINORVM CONSTRVCTIO.

In um.

1 PRIORA supina post uerba motus adhibentur: ut, Graijs seruitum matribus ibo. Eo perditum, Acurro adiutum, Proficiscor, gradior, reuertor uisum.

In his latens subest motus. Do uenũ, do nuptum filiam. Coctum ego, non uapulatum dudum conductus sum. Possunt & hæc per participium *in rus* & *participium in dum* cũ ad prępositione efferri: ut, Venio petiturus, uenio oraturus, eo ad orandum. Vall. lib. 1. cap. 28.

2 Priora supina interim & cum uerbo Est absolute ponuntur: ut, Pugnatum est, Actum est, Dormitum est, Cessatum est satis.

In V.

Posteriora supina ferè semper passiue accipiuntur, ac nominibus adiectiuis adhærent: ut, Miserabile usu. Difficile creditu. Procliue factu,

Res digna memoratu, id est ad memorandum, siue ut memoretur. Valla lib. 1. cap. 29. testatur hæc supina cum uerbo motus de loco coniungi non posse. Aldus & Lancilotus contra testantur. Statius Achil. 1. Quem nunc uenatu redituru in limine primo Audierat. M. Cato de re rust. cap. 5. Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat. Plautus, Obsonatu redeo. Alij hæc nõ supina esse asserunt. Ego hanc controuersiam futuro Grammaticorum concilio excutiendam relinquo.

PARTICIPIALE NOMEN *In Dus.*

Participiale nomen in dus, datiuum agentis personæ plerunq;, raro ablatiuum cum præpositione postulat. Terent. Phor. scen. 4. act. 2. Frater est expectandus mihi. Idem And. scen. 1. Restat Chremes, qui mihi exorandus est. Cic. A te non ulciscenda sunt, etiamsi non sint dolenda.

SYNTAXIS VERBORVM Impersonalium actiuæ uocis. *In Genitiuum.*

1 Hæc tria uerba Impersonalia & defectiua, interest, refert & est, in quoslibet genitiuos feruntur: præter mei, tui, & sui, quorum loco ablatiuos mea, tua, sua admittunt: ut, Interest magistratus tueri bonos, animaduertere in malos. Refert multum Christianæ reipub. episcopos & do-

& doctos & pios esse. Prudentis est multa dissimulare, Hæc uerba ad statum, officium, & utilitatem pertinent.

2 Hæc uerba Interest & Refert genitiuos, tanti, quanti, magni, parui, quanticunq;, & tantidē, in precio significādo post se usurpant: ut, Quanti interest? magni, Tanti refert honesta agere.

3 Hæc uerba Interest & Refert, apte iunguntur hisce aduerbijs, Multum, plus, plurimum, parum, paucū, pauxillum, nihil, aliquid, minus, maximopere & similia: ut, Multum refert, Minus mea refert quàm tua, Plurimum interest, Maximopere refert.

In Datiuum.

1 Sequentia uerba Impersonalia actiuæ literaturæ datiuum postulant. Sunt hæc, Accidit, contingit, constat, confert, competit, conducit, cōuenit, displicet, expedit, euenit, liquet, libet, licet, nocet, obest, prodest, patet, placet, restat, sufficit, uacat. *Accidit regi Hungariæ in prælio occumbere. Conducit reipub. à doctis & sapientibus administrari, &c.*

2 Hæc impersonalia, Est pro licet, præstat, supereſt, dolet, certum est, stat pro certū est, ac item præcedentis regulæ uerba, cum infinito à priori intransitiue iunguntur. Vergil. Cernere erat. Sallust. Nónne emori per uirtutem præstat, quàm uitam per dedecus amittere? Terent. Ita facere certum est. Vergilius, Stat casus reno-

uare omnes. Reliqua exẽpla ubiq; sunt obuia.

3 Prædicta uerba modo cum infinito solo, modo cum datiuo citra etiam infinitum, modo cum infinito simul & datiuo construuntur.

4 Hæc tria Impersonalia, bene, male, & satisfit, à fronte ablatiuum agentem cum præpositione aut uel ab, à tergo uero datiuum exigunt. A nouerca male fit priuignis, A deo bene fit nobis, A debitoribus satisfit Danistæ.

In Accusatiuum & Infinitum.

Hæc uerba Impersonalia actiuæ uocis, Decet, dedecet, iuuat, delectat, oportet, ut post se accusatiuum, ita ante se infinitum loco nominatiui accipiunt. Vergil. Euasisse iuuat tot urbes Argolicas. Me iuuat ire per altum, Vxorem ædes curare decet, Dedecet uiros muliebriter rixari, Me delectat in arcanis literis nauare operã, M. Cato. de re rust c. 2. Patremfamiliâs uendacem non emacem esse oportet.

Hæc prædicta uerba nunc cum *infinito* & accusatiuo, nunc cum *infinito solo*, copulantur: ut, *Meminisse oportet*, Plin. Multum non multa legere iuuat. Seneca, Certis ingenijs immorari ac innutriri oportet, si uelis aliquid trahere quod in animo fideliter sedeat.

Hæc uerba personaliter sumpta, à fronte nominatiuum à tergo accusatiuũ recipiunt. Verg. Non omnes arbusta iuuãt. Ouid. epist. 21. Tunc te plus solito lasciuia nostra iuuabat. Idem, Lude, decent animos mollia regna suos. Seneca.

Agri-

Agricolam arbor perducta ad fructum delectat. Decet & cum datiuo legitur Hellenicôs.

In Accusatiuum & Genitiuum.

Hæc uerba defectiua (impersonalia uocant) pœnitet, tædet, miseret, piget, pudet, & misereſcit, quoties infinita uerborum adiuncta non habent, in genitiuum & accusandi casum feruntur: ut, Miseret me fratris, Piget me laboris. Pœnitet illum impendij. Infamiæ non pudet Nonarias. Inopis te nunc misereſcat mei, Tædet animam meam uitæ meæ.

In Accusatiuum & infinitum.

Hæc uerba pœnitet, tædet, miseret, piget, pudet, & misereſcit, cum infinitum annexum habent, ſi quid poſt ſe recipiunt, in accuſatiuo ponatur, infinito ipſo nominatiui locum ſupplente: ut, Pœnitet me hodiernæ lectioni non interfuiſſe. Horum aliqua & cum rectis intranſitiue iuncta legũtur: ut, Te non pudet iſtud. Nemo miseret mei. Nemo miſerorum commiſereſcit.

IMPERSONALIA ABſolute prolata.

Hæc impersonalia Incipit, cœpit, deſinit, debet, ſolet & poteſt, infinitis uocatorum Impersonalium actiuæ uocis, aut etiam Impersonalium paſsiuorum adiuncta, abſolutorum formam ſuſcipiunt. Fab. in. 6. Vbi primum cœperat non conueniri, quæſtio oriebatur. Idem, Sed

ut peruenirí ad ſummum, niſi ex principijs non poteſt. Idem, Mihi quoq; profecto poterat ignoſci. Tædere ſolet auaros impendij. Solet quæri à multis. Debet ſtari ante oſtium Thaidis, Cice. Non poteſt iucunde uiui, niſi cum uirtute uiuatur. Incipit ſcholaſticum pœnitere negligentiæ. Solet patrem inertis filij pigere. Definit illum ſtudij tędere. Sacerdotem inſcitię pudere debet.

SYNTAXIS VERBORUM Impersonalium passiuę uocis in Tur.

1 Verba Impersonalia passiuæ literaturæ, à fronte rectum non habent, à tergo uero ablatiuum interueniente præpositione & admittunt & omittunt. Admittunt quidē, quoties eandem actricis personam definiri uolumus: ut, Abhoſtibus conſtanter pugnatur. Omittunt uero, ubi de persona actrice definienda non laboramus: ut, legitur, ſtatur, ſcribitur, itur in antiquam ſyluam. Verg. Sic enim tralatitius ad omnem perſonam ac numerum eſt ſermo, ut ex interpretatione actiua patet, Statur enim cum per ſe pronunciatur, pro eo quod eſt, ſto, as, at, ſed & ſtamus, atis, ant, accipi indifferenter poteſt, prout materiæ conditio poſtulat.

2 Quoties demonſtramus rem populariter ab omnibus fieri, uerbo abſoluto in tur non inuenuſte utimur, Terent. In ignem poſita eſt, fietur, &c.

PRAE-

PRAEPOSITIONVM Syntaxis.

PRAEPOSITIO cũ suo casu omni uerborum generi succedit: ut, Sum in agro, laceo ante pedes, Hostes circa muros cõsident, Prope flumen habitant poëtę, Doceo & doceor in ludo literario, Occurro ante ædes, Egredior urbem & urbe, &c.

2 Triginta prępositiones accusatiuo, quindecim ablatiuo, sex utriq; casui seruiunt: ut, Ad patrem, coram iudice, in adulterum, in domo.

3 Præpositiones quę citra casum ullum usurpantur in aduerbiorum naturam transeunt: ut, Extra meite, Prope abest. Verg. An mare quod supra memorem, quodq; alluit infra.

4 Verba cum prępositionibus A, ab, ad, con, de, è, ex, & in, composita, modo præpositiones uim suã seruent, pleraq; similem omnino præpositionem cum suo casu recipiunt, & actiua quidem, præter legitimum suum accusatiuum: ut, Essæi à mulieribus, uino, & carnium esu se abstinuerunt. Terent. Phorm. scen. 1. Actus 2, Amicos aduocabo ad rem hanc. Linacer lib. 4. affatim exempla suppeditabit.

5 Verba cum præpositionibus Præ, ad, con, sub, ante, post, ob, in, & inter, datiuum assumũt. Habent hæc uerba ex compositione relationem ac respectum ad aliquid, unde & uerba relatiua per compositionem dici possunt: ut, Ego meis præluxi maioribus, Præbibit mihi,

Adiacet Aegypto, Assedit mihi, Adhæreo illi, Conuixit nobis, Cõmigrauit huc uiciniæ, Res mortaliũ fortunæ subiacent, Antepono te omnibus, Auarus posthabet famam pecuniæ, Obgannit nobis, Inuigilat chartis, Interfuit lectioni pomeridianæ, &c.

Quædam uerba ex his accusatiuum exigunt: ut, Præco, pro uinco, præcedo, præcurro, præuertor, præuenio, &c. Quædã accusandi casum cum datiuo: ut, Admoueo tibi sedem, Antefero te omnibus, Impendet omnibus periculum, Appresit pectori codicem. Quędam dandi casum uel ablatiuum præpositione intercalata: ut, Cupio tibi uel tecum mori, Incidit mihi lis cum nebulone. Quædam deniq; promiscue modo datiuum, modo accusatiuum usurpant: ut, Præmitet, præminet, præstat omnibus siue omnes. Anteeo te, non tibi.

ADVERBIORVM SYNtaxeos Regulæ.

ADVERBIVM uerbo uel eius participio Latine cohæret: ut, Scribit bene, legit clare, docet perperam.

2 Aduerbium aliquoties nomen modo adiectiuum, modo substantiuum explanat: ut, Homo egregie impudens, Ne parum sis leno.

3 Aliquoties aduerbiũ adhæret aduerbio: ut, Non admodum pulchre, Parũ honeste se gerit.

Cum Nominatiuo siue Accusatiuo.

Demonstrandi aduerbia nominatiuis frequen-

quentius, rarius accusatiuis iunguntur. Fab. En improbitas. Verg. En Priamus. Cicero, Ecce tibi status noster. Idem ad Att. Ecce tibi nuncius. Iuuen. En habitum. Plaut. Ecce me. En exprobrantis accusatiuo gaudet, En animum & mentem. Valla lib. 2. cap. 15.

Cum Genitiuo.

Quædam aduerbia temporis, loci & quantitatis, genitiuos post se recipiunt. Loci: ut, Vbi, ubinam, nusquam, eò, longe, quo, ubiuis, huccine: ut, Vbinam gentium, Quo terrarum, Eo impudentiæ uentum est, Huccine rerum uenimus? Temporis: ut, Nunc, tunc temporis, interea, pridie, postridie eius diei. Quantitatis, Satis sapientiç, parum animi. Ita multum, paulum, paululum, & pauxillum, si modo aduerbia sunt: ut, Multum eruditionis, Paulum ociį.

Cum Datiuo.

Aduerbia nonnulla datiuum admittunt nominum unde deducta sunt: ut, Profectus est obuiam illi, Canit similiter huic, Viuit sibi inutiliter, Propinquius tibi sedet quàm mihi.

Cum Accusatiuo.

Sunt aduerbia quæ accusandi casum admittunt præpositionis unde sunt profecta: ut, Propius urbem, & proxime castra. Sallust. Proxime Hispaniam Mauri sunt. Vide Vallam li. 1. ca. 12.

Cum Ablatiuo.

Aduerbia diuersitatis, aliter & secus, itẽ duo

temporis aduerbia, ante & post, in ablatiuum generalis qualitatis siue quantitatis feruntur: ut, Multo aliter, paulo secus, multo ante, longe secus. Et longo post tempore uenit. Paulo post.

Comparatiui ac Superlatiui gradus aduerbia.

Aduerbia cõparatiui & superlatiui gradus, nominibus his, à quibus proxime ducuntur, similem constructionem habent: ut, Doctius illo, proxime omnium. Propius & cum datiuo legitur, ex natura nominis non comparationis. Verg. Cum propius stabulis armenta tenerent. Vide Vallam lib. 2. cap. 12. Legimus & propius ad deos & propius à terris.

Aduerbia quibus uerborum modis ac temporibus iungenda.

1 Aduerbia hæc, dudum, pridem, & nuper, præteritis uerborum iungi postulant: ut, Dudũ narrasti, pridẽ uidimus, nuper scripsimus. Hoc tamen & cum præsenti. Terent. in Heauton. Quanquam hæc nuper inter nos notitia admodum est. Valla lib. 2. cap. 34. & 35.

2 Iamdudũ, iampridẽ, & iamolim, ubi actio adhuc manere nec cessasse intelligitur, præsens magis uolunt, sed nonnunquam & præteritum admittunt: ut, Iamdudũ animus est in patinis, Iamdudũ ex Hispania uenit. Iampridẽ orat. Iãpridem fecit. Iamolim liuor locũ quærit. Verg.

Georg.

Geor. At iamolim seras posuit cũ uinea frõdes.

Iamdudum pro continuo uel quàm primũ, omnibus modis & temporibus iungi potest.

3 Donec pro quandiu, finitiuos uerborum modos adsciscit. Ouid. Donec eram sospes. Pro quoad, uel quousq, modo finitiuos, modo subiunctiuos. Liuius, Donec ad hæc tempora, quibus nec uitia nostra, nec remedia pati possumus, peruentum est. Colum. Donec ea aqua, quam adieceris, decocta sit. In prima præfatione.

4 Dum de re præsenti nõ perfecta, etiam pro quandiu, fatendi modo iungitur: pro donec, modo indicatiuo, modo subiũctiuo: pro dum modo, aliâs potentiali, aliâs coniunctiuo accõmodatur. Exempla Linacer abunde sufficiet.

5 Quoad pro quãdiu, uel indicatiuis uel subiunctiuis: pro donec, subiunctiuis solis adhibetur: ut, Quoad expectas cõtubernalem? Cice. In Cathone
Vt quoad possem & liceret, ab eius latere nunq a discederẽ. Quoad exercitus huc mittatur.

6 Non omnibus modis præter imperatiuum iungi potest: ut, Non facio, utinam nõ faciam, non fecissem, cum non facerem, non facere.

7 Ne prohibendi aduerbium siue dehortatiuum, secundis imperandi ac subiunctiui modi personis accommodatur: pro nõ, aliis etiam modis & personis iure adiungitur: ut, Ne sæui tantopere, Terent. Eunu. scen. 7. actus 4. Hic nebulo magnus est, ne metuas. Pro non. Cicero, Sed ne uiuam, si tibi concedo. Terent. Hoc

modo te obsecro, ut ne credas à me allegatum hunc senem.

8 Equidem diuersis uerborum personis iungi potest: ut, Equidem per littora certos dimittam. Non equidem hoc dubites. Per me equidē sint omnia protinus alba. Apud Ver. ubiq; pro ego quidem, apud alios pro quidem accipitur.

9 Iurandi aduerbijs finiendi modus uel potentialis maxime cōuenit. Terēt. And. scen. 2. act. 3. Per ecastor scitus puer natus est è Pamphilo, Non hercle feciſſem.

10 Aduerbia hortādi omnia imperatiuos possunt: ut, Dic sodes, Vide sis, Age instiga, Agite iuuenes scribite, Agedū istum ostende, Agedum extra portas prospicite. Valla lib. 2. cap. 16.

11 Vocandi aduerbia nominum iunguntur uocatiuis: ut, O Melibœe, O sceleste.

12 Amabo et amabo te, siue aduerbia sunt hortantis, siue interiectiones blandientis, uerbis & singularibus & pluralibus adhibentur: ut, Amabo te aduola, Afferte mēsam amabo, Quo amabo ibimus. Ite domum amabo.

13 Optandi aduerbia, ut optatiuorum sunt propria, ita merito ijs solis iunguntur: ut, O si remeasset in urbem.

14 Cum aduerbium temporis, uel indicandi modum, uel subiunctiuum admittit: ut, Cum dabit amplexus. Sallust. Cum esset adhuc nulla belli suspicio.

15 *Intensionis aduerbia* Absolutis & quibusdā uerbis

uerbis iuncta leguntur: ut sunt, Per, perquam, sanequam, ualdequam, admodumquam, minusquam, oppidoquam, & oppido perquam, imprimis. Teren. Eunuch. scen. 2. act. 3. Perpulchra credo dona haud nostris similia. Peruelim, perplacet. Vide Linacrum lib. 5. Vallam lib. 1. cap. 17.

16 Quàm intensionis aduerbium, superlatiuis adhibetur: pro quantum positiuis, siue infite siue interrogatiue legatur Homo pius quàm plurimis prodesse cupit Cic. Videte, quàm ualde malitiæ suæ confidat. Terent Reiecit se in eum flens quàm familiariter.

17 Quàm pro quantum, quibusdam interpositis uerbis, cuiusmodi sunt possum, ualeo, et synonyma, tum superlatiuis tum positiuis adiungitur. Sallu. Iugurtha quàm maximas potest copias armat. Quàm possum breuiter perstringã.

18 Longe aduerbium, pro ualde, comparatiuis & superlatiuis, tũ nominibus & aduerbijs, quibus diuersitas significatur, præterea nominibus siue uerbis superlationem quandam importantibus, accommodatur: ut, Pedibus longe melior, Longe omniũ præstantissimus. Colum. lib. 11. cap. 2. Atq; arborum longe nunc est optima, Longe mihi alia mens est, Longe aliter, Longe secus, Longe princeps, præcipuus, primus. Longe præcedunt ingenia uiuentiũ. Vall. lib. 1. cap. 18.

19 Facile, pro haud dubie, istis nominibus,

princeps, prçcipuus, primus & secundus, ad dignitatem relatis: ac item superlatiuis sæpe adiungitur: ut, Facile princeps, Facile primus, Facile doctissimus. Valla eodem.

20 Aduerbia intensionis, egregie & eximie, superlatiuis iunguntur: ut, Eximie optimum, Egregie facundissimum.

21 Hæc aduerbia, ut, ita, tam & quàm mutuo sese consequentia, superlatiuis non raro accommodantur, ac paria esse uolunt. Cicero de Oratore, Vt quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem pertimescit. Sallu. Quàm quisq; pessime fecit, tam maxime tuus est. Valla lib. 2. cap. 15. & 16.

22 Tam & quàm pro tantum & quantum, etiam absoluta nomina recipiunt: ut, Tam doctus, quàm probus. Tam eloquens, quàm eruditus. Valla lib. 1. cap. 16.

23 Nedum aduerbium negatæ solitudinis, cũ posteriorẽ clausulam tenet, in affirmatione minoris momenti rei iungitur, in negatione contra: ut, Effunderem pro te sanguinẽ, nedum pecuniam. Non effunderem pro te pecuniam, nedum sanguinem. Val. lib 2. cap. 18.

24 Hæc aduerbia negatæ solitudinis, non solum, non tantum, non modo, & priorem sensum occupant, & clausulas, quæ res tum imparis tum paris momẽti sunt, coniungunt, & quæ impares sunt, inuerso ordine tum affirmando tum negando committunt: ut, Non solum, non

tantum,

tantum, non modo, pecuniam pro te effunderem, sed etiam sanguinem: uel, sed etiã mortem oppeterem. Negatiue, Non solum non moriar pro te, sed nec effundam pecuniam. In rebus paribus. Nõ solum uestes à me accipies, sed etiam libros. Videtur tamen horum aduerbiorũ usus nonnunquam confundi. Quo de Linacer & Valla lib. 2. cap. 18.

25 Vt aduerbium digressiuum (quod à Græcis Apostaticon dicitur) hæc ferè sequitur, Tã, talis, tantus, tot, adeo, sic, ita: & subiunctiuum postulat uerbi, quod ferè tum à superiore est diuersum, tum eius intentionem declarat. Plin. lib. 8. cap. 22. Nullum est tam impudens mendacium, ut teste careat. Sic studijs incumbit, ut sanitatis sit immemor. Cice. De Senectute, Senectus plerisq; sic odiosa est, ut onus Aetnæ grauius dicant se in humeris portare. Apostaticon dici uidetur, quod digressum ad aliud uerbum parat.

26 Huc spectant & elocutiones illæ, quæ per Tantum abest, & Adeo non, figurantur. Cicero de officijs, Tantum abest ob officio, ut nihil officio magis possit esse contrarium. Idem pro lege Manilia, Tantum abest, ut aliquam bonam gratiam quæsisse mihi uidear, ut multas etiam simultates partim occultas, partim apertas subeundas mihi esse intelligam. Valla lib. 2. cap. 31. De adeo non: ut, Adeo non ueritus est præceptorem, ut illum etiam contumelia afficerit.

CONIVNCTIONVM SYNtaxeos Regulæ.

CONIVNCTIONES Copulatiuæ & disiunctiuę, casualium dictionum, quæcunq; ad unum referuntur uerbum, similes omnino casus nectunt: nisi ipsius casualis dictionis ratio ulla priuata repugnet: ut, Xenophon & Plato fuêre æquales, Socrates docuit Xenophontem & Platonẽ. Exceptionis exempla: *Emi librum centusi & pluris*, Fui Romæ & Venetijs. Horat. in arte. *In Meti* descendat iudicis aures, Et patris, & nostras.

2 Quàm, nisi, an, & præterquam, similes casus ferruminant: ut, Alterum uides, an utrunq; Est minor natu quàm tu, Nemini placet nisi sibi, uel præterquam sibi.

3 Coniunctiones copulatiuæ & disiunctiuæ inter adiectiua, præter casum, generis quoq; & numeri similitudinem exigunt: ut, Socrates fuit modestus & grauis, Xantippe morosa fuit ac uiro molesta. Coniunctiones aduersatiuæ, quando dictionibus modo interseruntur, copulatiuæ dici possunt: ut, Accipiam conditionem illam licet mediocrem.

4 Coniunctiones copulatiuæ & disiunctiuę duo pluráue aduerbia uni uerbo connectunt: ut, Et docte & elegãter, nec minus grauiter hac de re disseruit Homines aut bñ aut male uiuũt.

5 Coniunctiones copulatiuæ & disiunctiuæ aliquoties uerba similium & modorũ & temporum

porum conglutinant: ut, Sedeo & scribo. Adiectum est aliquoties, nam sæpe aliter deprehendas. Id quod Budæus in commentarijs Græcæ linguæ, exemplis tum Græcis tum Latinis haud obscure comprobat. Terent. And. scen. 1. act. 4. Nisi me lactasses et uana spe produceres. Idem Eunuch. act. 4. scen. 6. Et habetur & referetur à me gratia. Tibi gratias egi, & te aliquando collaudare possum.

Discretiuarum constructio.

1 Vero discretiua coniunctio, cum neq; nec, tum, age, sane, iam, enim, at, quasi, ceu, nunc, iungi solet: ut, Neque uero, nec uero, tum uero, age uero, sane uero, &c. Valla li. 2. cap. 24.

2 Vero confirmationis significatum præ se ferens, pro quinetiam uel etiam, pronomini ego subijcitur: ut, Plin. Proinde occupatibus locum faueo, ego uero & posteris.

3 Vero coniunctio, ueluti in respondendo adhibita, ac profecto uel certe, uel potius ἢ Græcum significans, pronominibus, ego, tu, ille, & nominibus subiungitur. Quæris an quod gessit ratum seruem? Ego uero seruo. Quem tu uero uidere uelles Phædria. De Lepido uero & Tullio quod quæris. Illi uero non dubitant, quin Cæsari præsto futuri in senatum q; uenturi sunt. Terent. Illa illico ubi me accepit, læta uero ad se abducit domum, &c.

4 Autem coniunctio discretiua, negationis

non & porrò propria uidetur: ut, Non autem, Porrò autem.

5 Sed cum ita uel tamen, aliquã innuere conditionem uidetur. Cic. Att. Scribis enim in cœlum ferri profectionem meam, sed ita, si ante calendas Ianuarias redeam.

Causalium Syntaxis.

Val. lib. 2. cap. 27.

1 Coniunctiones rationis reddituæ siue causales, quippe & utpote, præter alia sui generis proprium illud habent, quod nonnunquam Qui & Cum comites sibi admittunt: ut, Quippe qui uesicam plenam uini habeant. Cic. Att. Me & incommoda ualetudo, qua iam emerseram, utpote cum sine febri laborassem, tenuit.

2 Quippe sine qui & cum, crebrius usurpatur, etiam Vbi aliquoties sibi subijcit. Vergil. Quippe domum timet ambiguam. Idem, Quippe ubi fas uersum atq; nefas tot bella per orbẽ.

3 Vt coniunctio, Qui relatiuum cum uerbo subiũctiuo sibi subijcit. Fab. Noua offendit omnia, ut qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est.

4 Nam coniunctio, nõ tam causam aliquando reddit quàm ingressum rei signat. Terent. Rem omnem à principio audies, &c. Nam is postquam excesit ex ephebis.

Rationalium constructio.

Coniunctiones illatiuæ siue collectiuæ, ergo

go & igitur, breuioribus conclusionibus compellunt: quare & quamobrẽ, longioribus duntaxat, coniunctiones cum sunt: nam aduerbia & interrogatiue accipi & infinite possunt. Exẽpla in Linacro reperies. Valla lib. 2. cap. 43.

Aduersatiuarum Syntaxis.

Coniunctiones aduersatiuæ, etsi, tametsi, etiamsi, & quanquã, cum uerbis hærent & orationem inchoant, indicandi uerba magis postulant: Quamuis & licet subiunctiua sæpius. Iunguntur tamen interim tum illæ subiunctiuis, tũ hæ finitiuis, præsertim orationem non inchoantes. Exempla habes in Linacro & Valla lib. 2. cap. 21.

Cum.

Coniunctio Cum aduersatiua pro quamuis, continuatiua pro quandoquidem uel quoniam, semper subiunctiuum desiderat. Continuatiua pro postquam, tum indicatiuo tũ subiunctiuo iungitur. Exempla in Linacro.

Cum copulatiua pro &, sequente tum pro &, uel minus quiddam uel magis generale proponit. Tum uerò maius uel minus generale, indicatiuo ferè iungitur, modo duplici, modo uni tantum. Aliquando hęc & subiunctiuo modo copulantur: interim nullo uerbo adhærent. Valla lib. 2. cap. 22.

In attributis paribus, cum, &, uel, aut, tum, geminatum ponimus: in imparibus cũ & tum

comites sunt, sed cum præcedenti leuius attribu tum, tum sequenti grauius adhibetur. Attribu-ta hic uoco, quæcunq; alicui siue personæ siue rei sub proprietatis siue actionis ratione accom modantur: ut, Magna ineſt Ciceroni cum, &, tum doctrina: cum, & tum eloquentia. Adule-scentes literarum studioſi uel ſcribũt, uel legunt, uel etiam ediſcunt. Aut ſcribunt, aut legunt, aut deniq; lecta ediſcunt. Doctiſsimi quiq; Eraſmũ amore proſequuntur, cum ob doctrinam ſin-gularem, tum ob uitæ ſanctimoniam.

Si.

Coniunctio ſi, cum res facta ſignificatur, fi-nitiuis adiȷcitur: cũ potentialis in apodôſi eius ſubiȷcitur, potẽtiali uel ſubiunctiuo adhibetur: pro quamuis ſubiunctiuo: cum Quis indican-di modo iungitur: aliter uero finitiuis ſubiun-ctiuisq; indifferenter adſociatur. Exempla in Linacro.

Sin.

Sin coniunctio ſubiȷcitur ſi, cum dictorum ferè *eſt oppoſitio. Teren. Si illum* relinquo, eius uitæ *timeo: ſin opitulor*, eius minas. Ponitur & aliquando *ſine Si. Teren.* Hoc reliquum eſt, *ſin inficias ibit*, teſtis mecum eſt annulus. Signi-ficat autem Sin, ſi uero, uel ſed ſi. Val. li. 2. ca. 26.

Ni. Niſi.

Ni & niſi, tum præcedentes, tum ſequentes finitiuis & ſubiunctiuis iungi poſſunt. Etiam

potentiali

potentiali siue optatiuo, si utiq; uerbum, quod in apodosi redditur, potẽtialis sit modi. Est ubi Indicatiuis semper iunguntur. Val. li. 2. ca. 19.

Siue.

Siue ex si & ue compositum, quando oratio nem inchoat, præter morem aliarum coniunctionum, tres minimũ sensus, interim quatuor, postulat: ut, *Siue me amas siue odisti, non magni æstimo.* Ouid. epi. 1. Penelopes ad Vlyssem. Siue qs Antilochũ narrabat ab Hectore uictũ,

Antilochus nostri causa timoris erat,
Siue Menœtiaden falsis cecidisse sub armis,
Flebam successu posse carere dolos.

Postquam, Vbi.

Postquàm & diuisa & non diuisa. Item Vbi cum synonymos huius est, tum indicatiuis, tum subiunctiuis, præponi possunt. Exempla, si requiris, apud Linacrum reperies.

Antequam, Priusquam.

Antequam & diuisa & cõiuncta: item priusquam, modo indicatiuos, modo subiunctiuos sibi subijciunt.

Quòd.

Quòd causalis pro quia, frequentius subiunctiuum, sed & indicatiuum sibi subijcit. Vide Val. lib. 2. cap. 20.

Quàm.

Quàm electiua coniunctio, subiunctiuo, & fatendi modo iungitur: ut, *Aliud honestum iu-*

dicas, quàm philosophi statuant. Cice. Att. Quẽ iam etiam grauius accusas, quàm patitur tua cõ suetudo.

Quàm, Ac, Atq;.

Quàm, Ac & Atq;, uarijs particulis pro uarijs significatis succedunt. Nam & comparatiuis & uerbis, cuiusmodi sunt præsto, præualeo. Item post alius, diuersus, secus, aliter, contra & supra. Tum post similiter, æque, pariter, iuxta & perinde. Sed sic propositę tres particulæ, pro Vt uel Sicut aduerbijs accipiuntur. Ad Perinde & Quasi redditur. Liuius, Perinde quasi exitus rerum, non hominum consilia legibus uindicẽtur. Demum post nomina, similis, dissimilis, par, & unum pronomen Idem: sed quàm, ac & atque pro qualis acceptis. Reliqua in Linacro.

Pro eo ac, pro eo atq;.

Pro eo ac, & pro eo atq;, leguntur pro ita ut, pro sic ut, uel perinde ut. *Seruius Sulp. Ciceroni, Sane quàm pro eo ac debui grauiter molesteq; tuli.*

An, Ne.

Dubitatiuæ coniunctiones an & ne, Indicatiuis pariter & potentialibus modis accommodãtur: ut, Est ne ea intus? An in aestu uenit aliud ex alio malum? Vergil. 4. Vera ne te facies, uerus mihi nuncius affers. Idem, An quicquã nobis tali sit munere maius? Val. lib. 2. cap. 17.

Vt.

Valla lib. 2. cap. 28.

1 Vt perfectiua uel absolutiua, de præterito quidem, potentiali iungitur, de præsenti uel futuro, subiunctiuis: Pro ne non eisdem modis, post uerba timoris.

2 Vt concedentis pro dato quod, concesso quod, uel pro quamuis, item pro utpote, subiunctiuis iungitur. Cicero Att. Nam quid de me dicam, cui ut omnia contingant quæ uolo, leuari non possum.

3 Vt pro postquam, pro quemadmodum uel sicut, item, interrogatiue pro quomodo, indicandi modo iungitur. Potest pro quomodo uel quemadmodum, & potentialem recipere. Vt fecisses? & fac ita, ut fecisses.

INTERIECTIONVM CONstructionis regulæ.

Val. lib. 2. cap. 11. & 13.

HEI & Veh interiectiones, datiuis adhærent: ut, Hei mihi, Veh natibus tuis. Hei etiam nominatiuo iungitur: ut, Hei misera.

Heu et Proh, modo accusatiuis, modo nominatiuis accommodantur: ut, Heu stirpem inuisam, Proh deum atq; hominum fidem, Heu dementia, Proh Iuppiter.

Exclamantis interiectio O, nominatiuo, accusandi casu, & uocatiuo adhibetur: ut, O fortunati, O paupertas, O te felicem, O fortunatos

nimium, O nox illa, quæ tenebras attulisti.

Interiectiones non raro ad affectum animi exprimendum, in oratione absolute, intercalantur: ut, Spem gregis, ah, silice in nuda connixa reliquit. Terentius, Quæ (malum) dementia.

HACTENVS de iusta inter se partium structura compēdio quoad potuit, dictum est. Restat ut Figuratam siue nouatam prosequamur. Hæc, teste Fab. authoritate, uetustate, consuetudine plerunq; sæpe etiam ratione quadam defenditur. Ideoq; cum sit à simplici rectoq; loquendi genere deflexa, uirtus est, si habet probabile aliquid quod sequatur. Vna tamē in re maxime utilis, ut quotidiani & semper eodem modo formati sermonis fastidium leuet, & nos à uulgari dicēdi genere defendat. Quo siquis parce, & cum res poscet, utetur, uelut asperso quodam condimento iucundior erit. At qui nimiū affectauerit, ipsam illam gratiā uarietatis amittet. Hæc Fabius lib. 9. cap. 3. in fronte.

DE SYNTAXI FIGVRATA.

SYNTAXIS siue oratio figurata, in tribus ad summum generibus spectatur, Numero, Ordine, & Immutatione.

Ad Nūmerum referuntur, quæ in defectu atque excessu consistunt. Prioris generis sunt, Eclipsis, Aposiopesis, Zeugma, Syllepsis, Prolepsis, & Anapodotō. Posterioris, Pelonasmos, & sub eo Parelcon, & Epanalepsis.

Ad

Ad Ordinem spectant Hyperbaton & quæ sub eo sunt, Anastrophe, Histerologia, Tmesis, Synchysis & Parenthesis.

Ad immutationem pertinet Enallage Casus, Generis, Numerorum, Personarum, Modorum & Temporum.

DE ECLIPSI.

Eclipsis est dictionis ad legitimam constructionem necessariæ in sensu defectus. In hac dictio uel consuetudine authorum subaudiri solet, uel ex cæteris uerbis certa est.

Regula generalis.

Sæpe uox legitimæ constructioni necessaria deest per Eclipsim.

Eclipsis Appellatiuorum.

Non raro appellatiua nomina ad orationis syntaxim desyderantur per Eclipsim. Sunt autẽ hæc ferè appellatiua, templum, ædes, nauis, uia, literæ, iter, uoluntas, propositum, frondes, tentoria, pelles, prędium, partes, caro, febris, taberna, pecunia, nummus, sestertius, sermo, uerbum, recordatio, passus, homo, homines, populi, domesticus, minister, officium, tempus, mensis, dies, lux, factum, res, de siue ex numero: ut, Animalium, quibus sanguis crassior, &c. scilicet de siue ex numero animalium.

Eclipsis Adiectiuorum.

Quædam adiectiua nomina syntaxeos integritati non raro desunt per Eclipsim. Sũt autem

hæc, singuli, quisquis, cētena, millia, solus, unus, nullus, alius, talis, is, aliquis.

Pronominum Eclipsis.

Pronomina ferè omnis generis, nonnunquā orationi desunt per Eclipsim.

Ante infinita uerborum sensus uim habentia, sæpe ad cōstructionis debitum sufficiendus est accusatiuus pronominis eiusdem personæ cuius est nominatiuus uerbi finiti: ut, Memini uidere, deest me. Credis latere, deest te. Crēdit scire, pro se scire. Pronomina accusatiui casus, te, se, ante uerba transitiua absolute tamen pro lata sufficienda sunt. Teren. Facile ut pro Eunucho probes, scilicet te. Idem Phorm. Hæc hinc faceſſat, scilicet se, Bene habet, scilicet se.

Pronomina demonstratiua tertiæ personæ, Idem, ille, is, ante prouocabulum Qui sæpe desiderantur. Plin. lib. 8. cap. 42. Equo ferè, qui hōmini, morbi, scilicet ijdem qui. Curtius: Hæc nociferātem, quibus erat imperatum iugulant, scilicet hi siue illi quibus. Cicero: *Initium dicendi quæ uellem, scilicet ea quæ, &c.*

Pronomina idem, ille, is, unà cum præpositione subaudita non semel à debita orationis syntaxi absunt: ut, Mitte aliquem, ad quos uidebitur, scilicet ad eos quos.

Deest sæpe pronomen Ille, cum alijs quibusdam additis, ut fit quantum ad illud: ut, Quod scribis te uelle scire, scilicet, quantū ad illud pertinet, scribis te uelle scire.

Prono-

Pronomina, is, & ille, desunt ante relatiuum, cum sequitur præut siue præ. Terent. Eunuch. scen. 3. act. 2. Præut huius rabies, quæ dabit, scilicet, præ illa quæ dabit. Plaut. Oēs res relictas habeo, prę quod tu uelis, scilicet, præ eo uel illo.

Pronomina relatiua orationi se aliquando subducunt. Plin. li. 20. ca. 4. Impositio raphano scorpionibus moriuntur.

Possessiua pronomina omnia pro materiæ circumstantijs frequētissime orationis structuram fugiunt. Terent. And. Num tu ibi gnatum? scilicet tuum. Idem, Gnatam, ut det, oro, scilicet suā. Ouid. in epistolis, Frigidius glacie pectus amantis erat: pro meum amantis.

Sæpe uideas omissum uel prouocabulum Qui, uel certe relatiuum Is. Verg. Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni: scilicet, quā uel eam. Idē, Est locus, Italiam Graij cognomine dicunt.

Verborum Eclipsis.

1 Verbum substantiuum Sum, in omnibus modis desideratum legitur. Item in illis cum similibus: Immensum quantum, Mirum quantum, scilicet est.

2 Fac & Vide ante subiunctiua latent, præsertim cū imperatiuorū locum, sed mitius implent: ut Mittas: pro, fac mittas. Ouid. Nil mihi rescribas, attamē ipse ueni: scilicet, Vide nil rescribas.

3 Dico uerbum uel aliquid cognatū illi, orationis structuram non raro refugit: ut, Sed de his hactenus, Sed hæc & multa alia coram.

Quid multa? Egomet continuo mecum, hæc secum. Cognata sunt, hortor, moneo, rogo, cogito, loquor, &c.

Pers. sat. 3. *Ad populũ phaleras, ego te intus & in cute nouis. f. defer, iacta.*

4 Dico cum pronomine Hoc, item relatiuo Qui, sese orationi ante Quasi, ut uel ne, crebro subducit.

5 Dico, puto, uel censeo, pro ut sensui melius quadrabit, in illis eroteматis quæ per Quo uel Vnde figurantur, sæpius delitescunt. Est tamen ubi uerbum substantiuum Est subauditur. Horat. *Quo mihi fortunam, si non permittis uti?* id est, *ad quem usum uel finem dicatis mihi fortunam esse.* Vnde somnus: scilicet, est uel erat. Valla *lib.* 3. cap. 47.

6 Dico uel etiã facio, pro ut dictum factúmue probatur, in orationis contextu non raro subaudiuntur: ut, Bene Ennius, Præclare Anaxagoras, Prudẽter Fabius: scilicet, dixit siue fecit.

7 Dico uel annuncio, uolo, facio, facio uel uolo, Respondeo, respondeo uel confiteor: denique decet uel oportet, subinde *imperfectã orationem latenter* absoluunt: ut, *Hieronymo & Erasmo, Salutem, scilicet dices uel* annunciabis. Ita facere certũ est, scilicet uelle, Aequauit summos uiros, idq; in adolescentia, scilicet fecit. Dij meliora, scilicet faciant siue uelint. Quod epistolam meam poscis, non habeo eius exemplum, scilicet respondeo. Sed si confessionem meæ culpæ exigis, ego fui durus pater, scilicet respõdeo siue confiteor. Men incepto desistere uictam? scilicet

ſcilicet decet uel oportet.

8 Hoc totum Verum ne eſt? uel, Vere ne ita eſt? uel ſimile aliquid in orationis tenore deſideratur. Plin. Hominem ne Romanum tam Græce loqui? Sol es war ſyn? Iſt es war?

9 Eſt ubi fuerit uel fecerit, uel ſimile aliquid pro implenda conſtructione ſit addendū. Sueton. Siue diuinitus, ſiue coniectura, uincerent ac ſibi haberent, &c.

10 In Eperotêſi eiuſdem uerbi, ubi ſcilicet mutatur modus, uel rogas, uel quid ſimile in orationis ſtriga ſubaudiendum eſt. Teren. Non uides? Videam? Obſecro quem? pro rogas num uideam?

11 Debeo interim orationis ſeriem latenter abſoluit, niſi quis in aliquibus Enallagen dicat præſentis actiui pro futuro paſsiuo. Plin. In hūc ſpectare oliueta Caro iuſsit, ſcilicet debere ſpectare. Item in illo Catonis, Talem peſtem uitare cenſuit, pro uitandum eſſe.

12 Aliquando parum integra locutio uidebitur, niſi natum uel ortum eſt, uel aliquid Synonymum ſubaudias. Verg. Genus unde Latinū. Vnde imber & ignis.

13 Loqui, ire, confligere, audire, intelligere, ſonare, canere, & alia ſubinde omittuntur, quod ea ex aliis ferè intelligantur. Plin. ad Pontium, Quos Latine huius libelli amor docuit, ſcilicet loqui. Fidibus ſcire, ſcilicet ſonare uel canere. Cice. Inde ad Taurum cogitabam, ſcilicet ire,

proficiſci. Vt cum Mophagone ſignis collatis poſſem, ſcilicet confligere, uel tale quippiam.

14 Deſideratur interim & integer ex nomine & uerbo ſenſus: ut in illa & ſimili Ethopœia & iacto ſine perſona ſermone. Hic Dolopum manus, hic ſæuus tendebat Achilles, Aen. 2. ſcilicet dixit ſiue dicebat quis. Fab. lib. 9. cap. 2.

Participiorum Eclipſis.

1 Participia ſufficiens, potens, uel ſimile aliquid quod ſenſui quadret, nonnunquã in orationis ductu deſiderantur: ut, Tu ſoluẽdo non eras, ſcilicet ſufficiens. Potens ſoluendo, ſcilicet debito uel ære alieno. Qui oneri ferundo eſſent, ſcilicet ſufficientes.

2 Participiũ Scripta, interim in legitima conſtructione requiri uidetur: ut, Occupationum mearum uel hoc ſignum erit, quod epiſtola librarij manu, ſcilicet ſcripta. Cice. Att.

3 Hæc participia, ſciturus, dicturus, maceratum, emollitum uel madidum, hærentia uel ſpectantia, orationis eclipſi ſuppetias ferunt. Exempla Linacer ſuppeditat.

Præpoſitionum Eclipſis.

1 Præpoſitio Ante, ſubauditur ferè ante accuſatiuos Calendas, Nonas, Idus: ut, Tertio Calendas, ſcilicet ante, &c. Item annos natus decem, & in ſimilibus Priſ. ſubaudit ante.

2 Præpoſitiones, poſt, propter & ob, non raro orationem aperte deſtituunt, uel Donato teſte:

ste: ut, Quæ postridie ludos Apollinares futura est scilicet, post ludos. Teren. Quod te per hanc dextram oro, id est post quod, siue potius quod pro quare. Idem, Nunc id prodeo, ut conueniã Parmenonem, scilicet propter siue ob id. And. scen. 5. actus 1.

3 Ex præpositionibus quæ ablatiuo debentur, frequentissime constructioni deficiunt, hæ, ã, ab, pro, de, è, cum comitantiæ non instrumenti, cum synonymis. Additur, In, quam & in citandis authorum operibus desiderare solent ueteres Græco more: ut, Terentius Phormione. Ver. Stridens aquilone procella. Velum aduersa ferit, scilicet ab. Idem, Proiicite tela manu, scilicet è uel à manu. Idem, Et afflictis melius confidere rebus, scilicet de. Ita Seruius Horat. Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis, scilicet pro rotundis. Vergil. Et magnis quatiunt clangoribus alas, scilicet cum. Plin. Magna mortalium utilitate, scilicet cum. Plin. Vt dubium sit toga ne an bello præstantior fuerit, scilicet in. Vergi. Atque imo Nereus ciet æquora ponto, scilicet in uel ab. Pers. Sat. 5. Cum sis cætera fossor, scilicet per.

Aduerbiorum Eclipsis.

1 Ante & post, cum aduerbia scũt, ante Quàm electiuam numeralia ordinalia sequentem, & post alter, pridie & postridie: item præcedente Protinus uel statim ad plenam quandoq; constructionem requiruntur. Liuius, Quadringentesimo anno, quàm urbs Roma condita erat,

ſcilicet poſtquã. Idem, Altera die, quàm à Brut
duſio ſoluit. Cicero ad Teren. Quid cauſæ au-
tem fuerit poſtridie intellexi, quàm à uobis diſ-
ceſsi. Plin. Protinus intereunt, quàm litatum eſt
illi deo, ſcilicet poſtquam.

2 Non ſolum, quandoque non ſine quadam
uarietatis gratia orationi deeſſe uidetur. Fab.
Cum Ciceroni dormitare interim Demoſthe-
nis oratio, uerumetiam Homerus ipſe uideatur:
niſi uerumetiam pro imò etiam accipias.

3 Ita, ſimilitudinis aduerbium, ſubinde in La-
tini ſermonis ſtructura ante Vt deſideratur. Ho
rat. lib. 1. Sa. 1. Quanquam ridentem dicere ue-
rum quid uetat? Vt pueris olim dant cruſtula
blandi Doctores, elementa uelint ut diſcere pri
ma, ſcilicet ita ut. Hac loquendi figura crebro
uſus eſt Horatius, quam eius amator Quintilia-
nus ſæpe imitatur.

4 Vt ſimilitudinis aduerbium, ante exempla,
honeſte ſæpe ſubticẽt eruditi. Fab. li. 8. Eſt enim
Epiphonema rei narratæ uel probatæ ſumma
acclamatio. Tantæ molis erat, Romanam con-
dere gentem: ſcilicet ut, Tantæ, &c.

5 Vſque aduerbium orationis ſtructuram la-
tenter abſoluit. Horat. Ad unguem factus ho-
mo. Verg. Si non exoſus ad unum Troianos.

6 Non, aliàs poſt huiuſmodi uerba, uereor,
metuo, timeo, caueo, ſequente Ne: aliàs poſt Nõ
modo, in oratione ſubauditur. Cice. Si manet,
uereor ne exercitum firmum habere poſsit, pro

ne

ne non posit. Idem, Nam sic in epularum apparatu à magnificentia recedens, non se parcum solum, sed etiam elegãtem dici uolet, scilicet non solum non parcum se. Sed in tali & simili locutione, Non necessario deest: Non modo stellę, sed ne luna quidem ad solem suum seruat splendorem. At composita negatio in tali figura prępponi potest: ut, Non modo nullæ stellæ, sed ne luna quidem, &c. Vide Vallam lib. 2. cap. 18.

Non & post Nedum abest, ubi scilicet ad prącedens uerbum non refertur, sed suum habet, & semper in potentiali modo. Horatius in arte, Mortalia facta peribũt, Nedum uerborum stet honos & gratia uiuax, pro non stet. D. Eras. lib. comment. de Copia uerborum primo cap. 38. Nedum, inquit, hic noue positum, pro tantum abest: ut sit sensus, Mortalia facta peribunt, tantum abest ut uerba perdurent.

Coniunctionum Eclipsis.

1 Coniunctiones copulatiuæ, primo ubi celeritati studetur, tum inter duo commata, deinde in numeris sæpissime, postremo in omni distributione desiderantur. Verg. Aen. 9. Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros. Aequi, boni consulere, Vltro, citro, Vixit uiginti unum annos. Ver. At nos hinc alĩ sitiẽtes ibimus Afros. Pars Scythiam, &c. Idem, Haud mora, festinant iussi. Hanc Eclipsim Asyndeton siue Dialyton, hoc est inconiunctum siue dissolutum uocant.

2 Discretiuæ coniunctiones Autem & Vero

interim orationis perfectioni clam inseruiunt. Terent. Eunu. Traditus sum mulieri, illa illico ubi me accepit, pro illa uerò. Fab. Pro patre mori possum, coram patre non possum, scilicet autem siue uerò. Cicero: Hæc morum uitia sunt, non senectutis, pro non autem.

3 Disiunctiuæ coniunctiones, Seu, siue, uel, ue, aut, orationis defectum nonnunquam sufficiunt. Seneca: Scias, nescias, fecit. Plin. Continentur hispido calice per genera plus minus.

4 Desunt orationis contextui causales, enim, nam, uel alia similis significationis. Terẽ. And. Obseruabam mane illorum seruulos uenientes aut abeuntes, pro obseruabam enim. Verg. Georg.1. Ventus erit, uento semper rubet aurea Phœbe, scilicet enim.

5 Vt finalis uel perfectiua, ante subiunctiua uerba frequentissime, præcipue post uerba uolo, nolo, malo, precor, rogo, cũ similibus: prẽterea post oportet, necesse est & licet, desideratur: ut, Tu uelim definas. Rescribas ad omnia rogamus. Hoc cõsiliũ laudes oportet, siue necesse est.

6 Ne finalis, uix post aliud uerbũ quã caueo, orationẽ destituit: ut, Caue credas, Caue titubes.

7 Quod idicôs acceptum supprimit sæpe doctorum usus: ut, Volo scribas. Terent. Audiui Archillis iandudum Lesbiam adduci iubes, scilicet quod iubes.

8 Quod, ut, ne, post hæc uerba, cẽseo, suadeo, nuncio, dico, caueo, facio, desiderantur, Cic. Tu fac

fac fortem animum habeas. Caue aut æger aut hyeme nauiges.

9 Coniunctionũ Vt uel quod alterutra, post hæc uerba, puto, opinor, credo, arbitror, fateor, & similia desideratur: ut, Vatinius, Non puto re pudiabis in honore, quem in periculo recepisti. Terent. Eius amuis causa opinor, &c.

10 Si, si non, uel si aliter, nonnunquam in oratione omittuntur: ut, Dedisses huic animo par corpus, fecisset quod optabat, pro si dedisses uel etiam dare debueras. Terent. Negat quis, nego. Idem, Quã fortunatus sum cæteris rebus, absq; hæc una foret, scilicet si absq; foret, uel si abesset. Fab. Aut dicant isti mihi, quę sit alia ratio discendi, pro aut si non est, dicant isti mihi. Est hæc ratio Græcis frequens.

11 Illatiuæ coniunctiones interim orationis structuræ desunt. Teren. Hac non successit, alia aggrediamur uia: pro ergo, siue quare alia, &c.

12 Aduersatiuæ coniunctiones interdum orationi deesse uidentur, ut cum sine his legitur Tamen. Cice. pro Milone, Qui nondũ libera ciuitate, tamẽ populi Romani comitijs liberatus est.

13 Tamen cum aduersatiua coniunctione orationi interdum sese subducit. Ouid. lib. Meta. 1. fab. 10. Figat tuus omnia Phœbe. Te meus arcus ait: sensus, Cupido ait, O Phœbe, Licet tuus arcus figat omnia, tamẽ meus arcus te figit. Aliquando tamen coniunctio sola deest. Ouid. libro Meta, 6. fab. 6. At rex Odrysius, quamuis

ſeceſsit, in illa æſtuat, ſcilicet tamen.

14 Electiua coniunctio Quàm poſt plus, minus, & amplius, poſt Comparatiua deniq; deſideratur. Varro de re ruſt. Non minores oportet iniri, bimas, ut trimæ pariant. Teren. Eunu. ſcen. 2. Actus 1. Accede ad ignem hunc, iam caleſces plus ſatis. Idem, Plus millies audiui.

15 Quàm cum adiuncto aliquo pro conditione materiæ, deſyderari ſæpe uidetur, ueluti poſt comparatiua quoties abſolute proferuntur. Teren. And. ſcen. 1. Liberius uiuendi fuit poteſtas, ſcilicet quàm ante. Idem Eunu. Vbi ſiqua eſt habitior paulo, pugilem eſſe aiunt, ſcilicet quàm aliæ, uel quid ſimile.

16 An dubitatiua coniunctio nonnunquam orationi deeſſe uidetur: Aliâs ſemel, ut cum in priori ſenſu nec ipſa nec eius ſynonymos Ne adhibetur: ut, Studes an ſcribis? Studes an non, uel nec ne? Aliâs bis. Terent. Heauton. ſcen. 1. actus 4. Quid cum illis agas, qui neque ius, neque æquum, neq; bonum ſciunt, melius, peius, profit, obſit, nihil uident.

DE APOSIOPESI.

Non raro aliqua orationis pars ſermonis integritati deeſt per Apoſiopeſin. Eſt autem Apoſiopeſis, quum ex affectu aut alicuius interuentu, uel etiam tranſitus ad aliud gratia, orationis pars aliqua præciditur. Cicero Reticentiam & Præciſionem uocat. Celſus Obticentiam: nonnulli Interruptionem.

Apo-

Aposiopesis fieri solet, quum quippiam uel affectu aliquo, uel trãsitus causa ad aliud quod magis urget, prætermissum est. Ex affectu quidem uel iræ. Verg. Aen. 1. Quos ego, sed motos præstat componere fluctus. Vel pudoris. Idem, Aegl. 3. Nouimus & qui te, transuersa tuentibus hirquis. Vel timoris siue religionis. Cicero pro Milone, De nostrum enim omnium, nõ audeo totum dicere. Ad aliud uero transeundi gratia: ut in illo quod Fab. li. 9. cap. 2. adfert, Communis autem, tametsi, ignoscite mihi Iudices.

Donatus D. Hieronymi præceptor in grammaticis, interpres Terẽtij. in scẽ. 4. act. 4. And. Aposiopesin trifariam distinguit. Cum per seipsum tacet quis & ad aliud transit, quam uocat primam: uel tacet nec ultra loquitur, quam secundam nominat: uel alterius interuentu personæ tacet, quam tertiã appellat. De prima. Terent. Adel. scen. 2. act. 1. Ecce autem de integro, nisi quicquid est, uolo scire. De secunda idem in eadem scena, Iam si uerbum posthac. De tertia. Idem Phor. scen. 8. actus 5. Demiphonem si est domi, uisam, ut quod. Demipho, Nos ad te ibamus Phormio.

DE ZEVGMATE REGVLA.

Sæpenumero in similibus clausulis Commune aliquid in una positum, in alijs non mutatum, desideratur per Zeugma.

Literatores duo zeugmatis genera faciunt, al

terum quidem locutionis, alterũ uero constructionis: In illo Commune constructionis accidentibus immutatum clausulis accommodatur: in hoc accidentium uarietas exiſtit: quod certe Linacer, cum Diomede, Nicolao Perotto, & Nebriſſenſi Syllepſim uocant: illud uero prius, idem Thomas legitimum zeugma appellat: id quod tripliciter uariatur.

Primo ab eo quod detrahitur. Secundo à loco unde detrahitur. Tertio à particulis, quæ clauſulas committunt.

Quod detrahitur triplex eſt, Verbum, tum quod ipſum præcedit, deinde aliquid quod ipſum ſequitur.

Quod uerbum præcedit quadrupliciter. Modo unica dictio, modo plures, modo totũ, poſtremo cum aliqua parte eius quod ſequitur.

Quod uerbum ſequitur, itidẽ quadrupliciter. Modo unica dictio, modo plures, modo totũ, poſtremò cum aliqua parte eius quod præcedit.

Secundo uariatur zeugma & à loco, unde triplicẽ nomenclaturam ſumit. Nam aut *Prozeugma* dicitur, ubi uidelicet Cõmune illud in prima clauſula ponitur: aut *Meſozeugma*, ubi Cõmune in medio collocatur: aut *Hypozeugma* appellatur, quando Commune illud poſtremæ clauſulæ adhibetur.

Tertia uarietas à particulis eſt, quæ clauſulas coiungunt. Hæ tribus partibus continentur, Nomine, Aduerbio, & Coniunctione, aliquando

quando etiam Participio.

Sunt igitur in Nomine quæ zeugma faciunt, Relatiua ſubſtantiæ, qualitatis, magnitudinis, & numeri. Item nomina redditiua, uniuerſalia infinita.

In Aduerbio uero, dictorum iam nominum aduerbia: item temporis uel loci relatiua aduerbia: tum collationis, ſimilitudinis, paritatis & negatæ ſolitudinis aduerbia.

In coniunctione, copulatiuæ, diſiunctiuæ, diſcretiuę, rationis redditiuæ, cõtinuatiuæ, ſubcontinuatiuæ, perfectiuæ, illatiuæ, aduerſatiuæ, dubitatiuæ: & Quàm electiua cum ſynonymis ac & atq;

Incidit zeugma etiam ubi Ne dicam, interponitur: ac item in Epexegêſi uerbi Dico: ut, An ſperaſſet hoc uiuo Milone, ne dicã conſule, pro Conſule Milone. Vide Vallam lib. 3. cap. 20. Horat. lib. 1. ſat. 2. Tutior at quanto merx eſt in claſſe ſecunda. Libertinarum dico.

Aliquot exempla prædictarum uarietatum in zeugmate.

Primæ uarietatis Exempla.

Non locum uirum, ſed uir locum honeſtat. Probus non ſolum præſentes amicos colit, ſed etiam abſentes amicos obſeruat. Qui uir probus uideri uolet, præſentes amicos colet, & abſentes amicos tuebitur. Qui uir probus uideri uolet, tuebitur amicos abſentes, nedum amicos præſentes. Tuebitur amicos abſentes, nedum

præsentes. Vt probus absentes amicos tuetur, ita improbus prçsentes destituit. Vt probus absentes amicos sua opera tuetur, ita improbus destituit. Vt uir ingratus beneficio est indignus, ita & qui facile obliuiscitur. Nõ solum Mutius hosti metum incussurus, manum rogo intulit, sed etiam Agesilaus.

Secundæ Varietatis à loco.

Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Ouid. Non Venus & uinum sublimia pectora fregit. Vel morbo uel ætate forma defloresçit: Aut ætate forma defloresçit aut morbo.

Tertiæ Varietatis à particulis.

Vergilius est, qui enarratur. Niger homo est, qualis Aethiops. Magni nominis erat, quanti quisquam. Magnas copias secum duxit, quantas Xerxes. Magnum pascit gregem, quantum Anglorum quiuis. Centum uel multas exædifi cauit naues, quot non alius. Talis est hic, qualis ille, Tãtum habet agri, quantum ciuis quisquã. Tot tenet uersus, quot audit. Quicunq; uult esse continens, potest. Facit apte, *qualiter semper, Studet impense, quantopere nullus.* Pugnauit singulari certamine, *quoties* nemo alius. Diu fuit absens, *quandiu* præsens. Venit hora tertia, quando etiam præceptor. Pergit ad urbem, quo tuus pater. Transiuit Roma, qua noster hospes. Redijt Londino, unde noster Morus, Studuit Patauij, ubi Hieronymus. Sic uel ita tibi inuidit, ut mihi. Præceptor tã est honorãdus, quàm parens. Non solum nobis nati sumus, sed etiam amicis

amicis & patriæ. Socrates iudicatus est sapiens, & Aristides iustus. Sol auget uentos & comprimit. Plin. lib. 2. cap. 49. Idem lib. 8. cap. 34. Mutat colores Scytharum Tarandus, nec aliud ex his quę pilo integuntur. Vel quod certo scis, uel nihil est loquendum. Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim. Vide Vallam lib. 3. cap. 26. de usu Coniunctionis siue Aduerbij disiunctiui. Is adeo ex me natus non est, sed ex fratre. Athenienses Peloponnesiacum bellum gesserunt, Thucidides autem conscripsit. Credibile est illum fecisse, nam frater non negat, uel quippe uel etenim frater non negat. Quoniam hæc domus tibi non placet, altera tibi quærenda est. Si alium succurrere prohibetis, saltem hunc prohibete. Si tibi fui iniurius, qua quæso in re? Terent. Hanc mihi nisi mors adimet, nemo scilicet adimet: nam si adimat subaudias, Syllepsis erit. Adijsti me, non ut salutares, sed ut tentares. Vnicus es patri, igitur hæres. Et si patri tuo multum debeo, nõ tamen & tibi. Est magis amicus tibi quàm mihi. Magis alienus uisus est à nobis atq; à reliquis. Præstat in egestate uiuere, quàm inhoneste. Est ne Melibœi hoc pecus, an tuum? An uenit? Venit ne? scilicet an non? Ibimus? pro an ibimus an non?

DE SYLLEPSI.

SYLLEPSIS Est cum in dissimilibus clausulis commune aliquid, quod in una ponitur, mutatum aliquatenus in alia desidera-

tur. Fit hæc per partes & per accidẽtia partium. Per partes quidem modo cum earum significatio est uariãda: modo aliter, ut post dicetur. Per accidentia uero, ubi quod subauditur, genere, persona, numero, casu, modo, uel tempore, siad hibeatur est mutandum. Et hæc accidentium syllepsis fit per uerbum, adiectiuum nomen, præterea nomen pronomẽue relatiuum, aut participium: quæ particulæ, in generis saltem numeri & personæ syllepsi, tum singulariter communis locum sustinere tum pluraliter possunt. Et singulariter quidem positę, conformari cum aliqua particula clausulæ, in qua adhibẽtur, omnino debent: Pluraliter, cum eorum, quibus in omnibus clausulis respondent, maxime digno.

Syllepsis generum singulariter.

Adiectiuum singulare diuersorum generum substantiuis adiunctum, uiciniori in genere respondet per syllepsin generum. Terent. And. scen. 1. act. 3. Vtinam aut hic surdus, aut hæc muta facta fit. Idem, Dati anuli, locus, tempus constitutum. Vergil. Georg. 3. Tu quos ad studium atq; usum formabis agrestẽ. Nulla uirgo est dicenda, uel mente corrupta uel corpore. Nulla uirgo est dicenda, uel mente, uel corpore corrupto. Vide Val. lib. 3. cap. 25. Verg. eclog. 5. Atq; deos atq; astra uocat crudelia mater. Sunt qui Conceptionem generum faciunt, quam implicitam uocant, in illis & consimilibus distributionibus.

tionibus, Ouid. Impliciti laqueis nudus utercꝫ iacent, Mars scilicet & Venus. In Genes. Erat uterque nudus, scilicet Adam & Eua, &c.

Syllepsis personarum singulariter.

1 Verbum singulare diuersarũ personarum rectis adhibitum, cum propinquore in persona recto consentit per Syllepsin personarum. Cicero ad Quin. fratrem, Et penè ille timore, ego risu corrui. Idem de Som. Scipionis, Ego illum de suo regno, ille me de nostra repub. percontatus est. Accede Val. lib. 3. cap. 24.

2 Vbi collatio in Syllepsin personarum singularem incidit, aut ubi Nisi clausulam subiungit, Verbum posteriori loco adhibitum, cum prioris clausulæ nominatiuo in persona consentiet: ut, Tu melius ista, quàm ego, faceres. Ego melius ista, quàm tu, facerem. Ego sicut fœnum arui. Tu ita, ut ego, hæc feciſſes. Ille perinde ut tu, liber est. Terent. Heauton. act. 5. scen. 3. Talem filium nulla, nisi tu, pareret. De Nisi interdum fallit apud alios poetas. Vergil. Nil hic, nisi carmina desunt. Ouid. Quid, nisi secretæ læserunt Phyllida syluæ.

3 Verbum singulare recto primæ aut secundę personæ, cum auferẽdi casu, præpositione Cum intercedente & comitem significante, postpositum, cum recto in persona concordat. Ouid. Tu quoꝫ cum Druso præmia fratre feres. Horat. Tu, quid ego & populus mecum desideret, audi.

Syllepſis numerorum ſingulariter.

1 Verbum uel adiectiuum ſingulare rectis ſiue ſubſtantiuis diuerſi numeri annexum, illud quidem cum recto, hoc cum ſubſtantiuo proximo in numero quadrat. Verg. Hic illius arma, hic currus fuit. Idem, Socijs & rege recepto.

2 Subſiſtendi uerbum inter diuerſorum numerorum rectos poſitum, cum utrouis recto, ſed frequentius cum præcedente, conuenire ſolet. Varro apud Gell. li. 1. ca. 25. Inducię, inquit, ſunt pax caſtrenſis paucorum dierum. Gellius ibidem, Nam neque pax eſt induciæ, &c.

3 Verbum ſubſtantiuum, diuerſi numeri rectis poſtpoſitum, authores cum proximo recto conformarunt. Ouid. Veſtes, quas geritis ſordida lana fuit. Idem Met. 1. fa. 8. Omnia pontus erat. Terent. And. ſcen. 3. act. 3. Amantium iræ amoris redintegratio eſt. Vide Linacrum lib. 6. de temporum Enallage, fermè in calce.

Syllepſis pluraliter.

In ſyllepſi, ubi commune in clauſulis eſt plurale, cum digniore in ipſis coaptabitur.

Eſt porrò inter genera maſculinum dignius fœminino & neutro. In perſonis prima præſtantior quàm ſecunda & tertia: ſecunda uero quàm tertia.

Syllepſis generum pluraliter.

1 Adiectiuum plurale, ſubſtantiuis ſexum præ ſe ferentibus ac diuerſi generis adhibitum, cum digniori

digniori genere in ipſis cõſentit. Ouidius, Mulciberis capti, Marſq; Venusq; dolis. Terẽ And. act. 5. ſcen. 2. Domus, uxor, liberi inuenti inuito patre. Verg. Cæſoſq; reportant, Almonem pueꝝ fœdatiq; ora Galeſi.

Adiectum eſt, ſexum præ ſe ferentibus: nam ſi ſubſtantiua rerum fuerint inanimatarum, adiectiuum in neutro ponatur genere, per regulam 9. ſupra in cõſtructione adiectiui poſitam.

In illo Ouid. lib. faſt. 1. Iane face æternos pacem, pacisq; miniſtros, alterum tantũ è ſubſtantiuis ſexum præ ſe ferẽs eſtq; tum generis tum numeri ſyllepſis.

2 Adiectiuum plurale, recto cũ ablatiuo præpoſitione cum interueniente adiunctum, cum digniori genere amicitiam conciliat. Ouid. Ilia cum Lauſo de Numitore ſati.

Syllepſis perſonarum pluraliter.

Verbum plurale clauſulis commune, diuerſæ perſonæ rectis appoſitum, cum auguſtioris perſonæ recto conuenit per ſyllepſim perſonarum. Cicero, *Si tu & Tullia lux noſtra ualetis, ego & ſuauiſsimus Cicero ualemus.* Terentius Adelph. Hæc ſi neq; ego neq; tu fecimus, non ſiuit egeſtas facere nos. Vergi. Spolia ampla refertis Tuq; puerq; tuus. Hora. *Si modo ego & uos ſcimus inurbanum, lepido ſeponere dicto.*

Conceptio perſonarum fit etiam per Cum. Vergil. Aen. 2. Iphitus & Pelias mecum diuellimur inde. Ego cum uxore parum belle ui-

uimus, Tu cum Andromache tua strenue certatis, &c.

Syllepsis numerorum pluraliter.

Duo interim recti, quorum uterque uel alter est singularis, aut etiam rectus cum auferendi casu præpositione cum intercalata, uerbo plurali clausulis communi coaptantur in Syllepsi numerorum: ut, Discipuli & præceptor cessant, Vergil. Sunt nobis mitia pona Castaneæ molles & pressi copia lactis. Ouid. Meta. 2. fab. 1. Fors eadem Ismarios Hebrum cum Strymone siccat, scilicet Ismarios amnes. Idem in 1. Littora cum plausu clamor superasq; deorum Impleuere domus.

De syllepsi, quæ fit per Casus, Linacer prolixius tractat, quàm huic instituto cõueniat, &c.

Syllepsis modorum.

Syllepsis modorum fit, cum inter clausulas, imaginis aduerbium intercedit. Item, Vt, tum Apostaticon, tum similitudinis. Præterea, coniunctio copulatiua & saltem. Deniq; prouocabulum cum uerbo desiderandi, opinandi uel noscendi: ut, Incedis ueluti rex uel quasi rex, scilicet incedat siue incederet in potentiali modo. Horat. At est bonus, ut melior uir non alius quisquam. Idem, Præterea ne sic, ut qui iocularia ridens, Percurram, scilicet percurrit ridens. Fit eodem loco & Zeugma, si Iocularia repetatur. Author Porphyrio, Horatij interpres. Et stu-

des

des & hortor ne desistas. Item, Nec tu faceres, nec ego te permitterem, scilicet facere. Terent. And. act. 3. scen. 2. Itane tandem idoneus tibi uideor, quē tam aperte fallere incipias dolis? Saltem accurate ut metui uidear, scilicet fallere inciperes. Video, quos uolebam, scilicet uidere.

Syllepsis temporum.

Quoties in clausulis aduerbia diuersi temporis adhibentur, uerbum clausulis commune per temporum syllepsin uariari necesse est: ut, Cum te ante uirum ostendisti, tum hic uel maxime, scilicet ostendis. Longe nunc doctior est quàm olim. Olim doctior erat quàm nunc.

Syllepsis per partes.

1 Syllepsis per partes fit, ubi quippiam detractum cernas, quod sit uoce, non etiam significatione commune. Ouid. lib. trist. 1. elegia 2. Non peto, quas quondam petit studiosus Athenas, Oppida non Asiæ, non mihi uisa prius, Non ut Alexandri claram delatus in urbem, Delitias uideam Nile iocose tuas. In prioribus uerbum Peto pro Adeo accipitur: in posteriore pro Postulo. Iustinus lib. 11. Prouolutæ deinde genibus Alexandri, non mortem, sed ut Darij corpus sepeliant, dilationem mortis deprecãtur. Ibi Deprecor in priore clausula pro precando auersor, in posteriore pro ualde precor accipitur. Idem libro tertio in fronte: Ita egregius adulescens & cædem patris & necem fratris, & se ab

insidijs Artabani uindicauit. Hic uindico priori loco pro ulciscor, post pro libero accipitur.

Diasyrmos Hanc Syllepsin & Diasyrmon uocant, quoties uidelicet uox una in orationis serie ad diuersa significata distrahitur.

Est & altera Syllepsis per partes, ubi & uoce & significato diuersum est subaudiendum, cum id, quod altera est clausularum, alteri omnino aptari non possit. Verg. 12. Disce puer uirtutem ex me, uerumq; laborem Fortunam ex alijs, scilicet opta. Idem Aeneid. 2. Sacra manu, victosq; deos, paruumq; nepotē Ipse trahit, scilicet deos & sacra gestabat, nepotem trahebat.

Syllepsis in una clausula.

Poëtarum interpretes aliquando in una clausula Syllepsim accidere uolunt, cum uidelicet duarum uocum dissimilium, altera earum non ad uocem alterius, sed ad rem significatā refertur: idq; modo per genera, modo per numeros, modo per genera & numeros simul. Terent. And. scen. 5. act. 3. Vbi illic est scelus, qui me perdidit? Vergil. Pars in frusta secant. Ouid. Pars uolucres factæ. Vergil. Pars mersi tenuere ratem. Sallust. Maxima pars uulnerati aut occisi. Vulgus Grammaticorum Synthesin appellat. Vide Linacrum lib. 6.

DE PROLEPSI.

Sæpenumero generalis dictio, quæ in multitudinis numero ferè præcedit, rursus in partibus intelligitur, nec adhibetur: ut, Aquilæ uolant,

lant, hęc ab oriente, illa ab occidente. Cepere captiuos, partim integros, partim saucios. Vergil. Cõueniemus ambo, Tu calamos inflare leues, ego dicere uersus.

Est autem Prolepsis, cum generale præcedit, & idem diuiditur in partes.

Obseruantiunculæ.

1 In Prolepsi coniunctio aliqua, quæ uel copulatiua sit uel discretiua, subauditur: ut, Aquilæ uolant, & hæc uolat ab oriente, & illa uolat ab occidente: uel, hæc quidem ab oriente, illa uero ab occidente.

2 Fit autem Prolepsis per omnia genera, quæ generale in partes diducunt. Per nomina, alius, alter, unus. Per pronomina, ego, tu, hic, ille. Per aduerbia, partim, modo, aliquando cum similibus. Etiam sine his per sola interdum appellatiua uel propria. Vergil.

Interea reges, ingenti mole Latinus (albis.
Quadrijugo uehitur curru, bigis it Turnus in
Hinc pater Aeneas Romanæ stirpis origo,
Et iuxta Ascanius magna spes altera Romæ.
Procedunt castris.

3 Obseruatum est in hac figura, præsertim extra carmen, tum generale tum partes uarie exprimi posse: quam certe uarietatem, subiecta à prædictis exempla, haud obscure indicabunt. Aquilarũ alia ab oriente uolat, alia ab occidente. Ciuium alios regere decet, alios parêre. Auitiũ genus partim terrestre est, partim aquatile.

Auiriꝫ generis aliud eſt terreſtre, aliud aquatile. Humani generis pars corpus excolit, pars animum. Humanum genus partim ſui iuris eſt, partim alieni. Humani generis aliꝫ probi ſunt, aliꝫ improbi. Hominũ alius eſt frugi, alius nequã. Ciuium aliꝫ præſunt, aliꝫ parent. Item per obliquum participialem uerbi loco poſitum: ut, Aquilarum uolantium, alterius ab ortu, alterius ab occaſu, par eſt uelocitas.

4 Porrò quicquid in collectione præcedit, plurale omnino eſſe poſtulat, uel uoce uel certe ſignificatione, cui utrique tam ſingularia quàm pluralia in partibus adhiberi poſſunt, ut prædicta exempla aperte declarant. De quo uide Linacrum, qui ex Priſ. lib. 17. & Theodori lib. Introductionis grammaticæ quarto (quorum uterque ex Doctiſsimo Apollonio) hæc ſumpſiſſe uidetur.

5 Eſt quando unicum membrum generalitati ſubiicitur in prolepſi, quam implicitam ſiue incluſam uocant. Sallu. Cœpere ſe quiſq; magis extollere. Teren. Adel. act. 4. ſcen. 4. Aperite aliquis acturum oſtium, ſcilicet aliquis aperiat. Idem in eadem, Curemus æquam uterque partem, ſcilicet tu alterum, ego uerò alterum. Ver. Aeneid. 12. Pro ſe quiſque uiri ſumma nituntur opum ui.

Hactenus de his quæ ſyntaxeos defectum ſufficiunt: ſupereſt ut de iis quæ in oratione redundant dicamus. Et primum

DE PLEONASMO.

Pleonasmus est quum superuacuis uerbis orationis contextus oneratur. Hæc figura interim affirmationis, interim Epitaseos gratia adhibetur. Affirmando: ut Aen. 4. Vocemq; his auribus hausi. Per Epitasin. Terē. Sed ubi nam gentium est? Pleonasmo subest Parelcon.

Epitasis, intentio, uehementia, exaggeratio.

Nominum Pleonasmus.

1 Nomina tum adiectiua, tum substātiua, interdū in oratione redundant. Cic. Omnia quæcunq; Carpinatus postulabat, facere & decernere solebat. Teren. Comperiebam nihil ad Pamphilum quicquam attinere. Verg. *Sic* ore locuta est. Teren. Hisce oculis egomet uidi.

2 Hęc Adiectiua, paruus & minutus, diminutiuis adiuncta: item genitiui illi, loci ac gentiū, & homo, in orationis complexu ociari uidentur. Cicero, Accipies igitur hoc paruum munusculum. Idem, Minutis interrogatiunculis, quasi punctis, id quod proposuit, effecit. Terē. Interea loci cognoui. Idem, Vbinam gentiū est? Idem, Ego hominē callidiorem uidi neminem.

3 In appositione, si speciale præcedit generale, abundat: ut, Gemini fratres, Ancilla mulier. Teren. Phor. actus 2. scen. 1. Seruum hominem causſam orare leges non sinunt. Interdum generalitatis appositio superuacua non est, præcipue ubi speciale, aut parum notum, aut æquiuocum siue ambiguum existit: ut, Sabrina flumen, Laburnum arbor, Taurus mons, Leo sydus, &c.

4 Quid interrogandi neutrum, in huiusmodi orationib. abundare uidetur. Cicero, Quid? orationis quot sunt partes? Teren. Phor. act. 1. scen. 2. Quid? senem quoad expectatis uestrum? Quod Donatus pro more quotidiano tunc dici putat, cum transitus fit à mentione alterius rei in alteram.

Pronominum Pleonasmus.

1 Hi datiui pronominum *Mihi* & *Tibi*, uulgari quodam more ac usu pleonasmũ sapiunt: cum dicimus, *Tu mihi semper dormis*, *Ille mihi assidue sedet*, *Cum super cœnam essemus, ecce tibi ostium concrepuit*. In quibus locutionibus Mihi & Tibi, neq; ad me, neq; ad te, neq; ad quemquam referri uidentur. Valla lib. 3. cap. 52.

2 Geminata in accusatiuo & auferendi casu pronomina Meme, Tete, Sese, non tam pleonasmon, quàm Epitasin præ se ferunt. Ver. Aen. 9. Meme adsum qui feci, in me conuertite ferrum O Rutuli. Fab. Tete hoc loco mulier interrogo. Terẽ. And. Quę sese in ignẽ inijcere uoluit.

3 *Ille* relatiuum, apud poetas Græco & Homerico more πλεονάζει πλεονάζει. Verg.

Multum ille & terris iactatus & alto. Idem,
Vndaq; iam tergo ferratos sustinet orbes.
Puppibus ille prius, patulis nunc hospita plaustris.

4 Hic & Is relatiua, nõ sine gratia in orationis contextu redundant. Liuius lib. ab urbe cõdita 1. ferè in fronte, Ita geniti atq; educati, cum primum

primum adoleuit ætas, nec in ſtabulis, nec hi ad pecora ſegnes, uenando peragrare ſaltus. Sallu. Sed urbana plebs, ea uero præceps erat multis de cauſis. Terẽ. Sed eas fabulas factas prius Latinas ſciſſe ſeſe, id uero pernegat.

5 Ipſe pronomen Epitagmaticon, cum poſt Met diſcretionis particulam adhibetur, abundat. Teren. Id noſmetipſos facere oportet Phædria. Cicero in opere ſerio, Ni noſmetipſos amabimus ualde.

Verborum Pleonaſmus.

1 Ex uerbis peculiariter Dico, præſertim apud Ciceronem, pleonaſmon refert: ut in illo, Cui cum familiaris quidam quereretur, quod diceret uxorem ſuam ſuſpendiſſe ſe de ficu.

2 Sequentes & conſimiles Periphraſes redundantiam omnino præ ſe ferunt. Terent. in Hecyra. actus 3. ſcen. 5. Si eſt, ut uelit reducere uxorem, licet: pro, ſi uelit. Et eiuſdem in Phor. Si eſt patrue, culpam ut Antipho in ſe admiſerit, pro ſi admiſit, Donato interprete. Idem in And. Si eſt ut dicat uelle ſe, redde. Si eſt ut nolit, recte conſului gnatæ meæ.

De Participij pleonaſmo in Helleniſmis.

Præpoſitionum Pleonaſmus.

1 Præpoſitiones nonnullæ cum uerbis compoſitæ, ad conſtructionem, ſuperfluunt. Teren. And. actus 2. ſcen. 1. Adeon ad eum? Sallu. Tanta uis auaritiæ in animos eorũ, ueluti tabes in-

uaſerat. Terent. And. actus 3. ſcen. 2. Id ego iam nunc tibi renuncio here futurum, ut ſis ſciens.

2 Ad, ab & per, ante urbium & oppidorum nomina redundant. Cic. Ea die Verres ad Meſſanam uenit. Sallu. Nam Brutus ab Roma aberat. Cice. Circiter Idus Sextiles ab Epheſo in Syriam nauibus profectus eſt.

Aduerbiorum Pleonaſmus.

1 Aduerbium Retro, poſt uerba à re compoſita: item Ante poſt uerba cum præ cõpoſita: & Simul, cũ uerbis à con compoſitis, in orationis ſerie redundant. Verg. Et retro ſublapſa referri. Terẽ. Nonne oportuit præſciſſe me ante. Idem, Multa ſimul concurrunt, qui coniecturam hanc nunc facio.

2 Aduerbium negandi abundat, tum poſt cõpoſitam negationem primo loco poſitam, tum aliter quoq;, ubi per ſecundam negationem adſtruitur quicquam uelut maius. Terent. Phor. actus 2. ſcen. 3. Negat neq; eius patrẽ ſcire, quis fuerit. Cicero, Nullam denique eſſe artem, nec dicendi nec diſſerendi, putant. Terent. And. Neq; haud tu dicas tibi non prædictum caue. Ita Donatus legit. Idem Eunu. Non eam ne nunc quidem cum accerſor ultro. Compoſitæ porrò negationes ſunt, Nego, neſcio, nequeo, nemo, nullus, nunquam.

Coniunctionum Pleonaſmus.

1 Coniunctiones explẽdi modo ornandiue gratia

gratia orationi intercalatæ superfluunt: ut sunt præter cæteras, Num, nam, dum, in etiamnum, numnam & adesdum. Terent, And. Numnam perimus? Idem in eadem, Ehodum bone uir ad me. Idem, Dicdum. Vergil. Nam neq; Parnasi nobis iuga, nam neque Pindi.

2 Coniunctiones copulatiuę subinde redundant. Verg. Multa quoq; & bello passus. Idem, Atq; hinc atq; illinc humeros ad uulnera durat. Idem, Dixitq; & prælia uoce diremit. Teren. Hecyra. actus 5. scen. 1. Ego pol quoq; etiam timida sum. Hic Pelonasmus polysyndetõ dicitur.

3. Cõiunctiones copulatiuæ sæpissime superfluunt, cum Epexegesin tantum astruunt. Verg. Aen. 1. Iudicium Paridis, spretęq; iniuria formę. Est enim interpretatio Iudicij Paridis, Spretæq; iniuria formæ.

4 Vt, cum ei succedit ne, uel ipsa ociosa est, uel ne pro non accipienda. Terent. Ego pol te pro istis dictis & factis ulciscar scelus, ut ne impune in nos illuseris.

DE EPANALEPSI.

Sæpenumero post aliquam multa, uel claritatis uel alia quapiam causa orationi interposita, id quod in principio est collocatũ, repetitur per Epanalepsim. Epanalepsis resumptio dicit. Ἐπαναλῆψις superiorũ repetitio siue resumptio.

Fit autem Epanalepsis uel ijsdem uerbis, uel diuersis ab his quæ proposita sunt, aliâs potestate paribus, aliâs magis generalibus. Cicero ad Brutũ, Caue enim existimes Brute (quãquã

non est necesse ea mea dicte, quæ tibi nota sunt scribere) caue putes probitate, constantia, cura, studio, Reipub. quicquam illi esse simile. Idem lib. Tusc. 1. Confirmato illo, de quo si mortales animi sunt, dubitare non possumus, cũ tantus interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur: Hoc igitur probe stabilito & fixo, illud excutiendum est, ut sciatur quid sit Carere. Idem pro M. Marcello, Verum animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, uirtute præstantem, non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego summis uiris comparo, sed similimum deo iudico. In hoc exemplo Cicero figurã mutauit, ut magis apte clauderet.

Alias quin.

Est egere eo, quod habere uelis.

Adhibentur in hac figura aliquando notæ quædam, quales sunt, Igitur, Inquam, Sed, & similia. Cicero in libris de Orat. Nostra est enim, si modo nos oratores sumus, si in ciuium disceptationibus, si in periculis, si in deliberationib. publicis adhibendi autores & principes sumus: nostra est (inquam) omnis ista prudentiæ doctrinæq; possessio. Idem, Cum audio socrum meam Leliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem cõseruant, quod multorum sermonis expertes, ea tenent semper quæ prima didicerunt) sed eam sic audio, ut Plautum mihi, aut Neuium uidear audire.

DE

DE HYPERBATO.

Absoluto nouatæ constructionis numero, qui in defectu & excessu consistit, prosequamur ordinem, ad quem Hyperbaton & subiectæ species Anastrophe, Hysterologia, Tmesis, Synchysis, Parenthesis, Hypallage & Metathesis referri debent.

HYPERBATON est cum dictionum clausularúmue ordo legitimus immutatur. Latine Transgressio dicitur.

Regulæ.

1 Interdum dictio à suo loco longius transgreditur per Hyperbaton. Cicero, Animaduerti Iudices, omnem accusatoris orationẽ in duas diuisam esse partes.

2 Relatiuum Qui interim non ex proxima clausula, sed superiore, aliquid repetit per Hyperbaton. Vergil. Me puer Ascanius, capitisq; iniuria chari Quem regno Hesperiæ, &c.

2 Nonnunquam aliquid inter adiectiuum in accusandi casu positum & appellatiuum in genitiuo, intercalatum, legitimum orationis ordinem inuertit. Teren. Paululum da mihi operæ. Cice. Sed amor uoluntatisq; coniunctio plus habet suauitatis.

DE ANASTROPHE.

Anastrophe est dictionum præposterus ordo. Latine Inuersio dicitur.

Regulæ.

1 Multæ præpositiones præposterum in oratione situm occupant per Anastrophen: ut, Italiam contra, & His accensa super, & Maria omnia circum, & Spemq; metumq; inter dubij, & Quem penes arbitriu est. Queis sine, Qui cum, Quibus cũ. Pers. sat. 6. Meste tenus ppria uiue.

2 Quoties præpositionis alicuius casus in genitiuum transit relatiui substantiæ, præpositio cum suo casu plerunque genitiuo subijcitur: ut, Cuius de honore agitur. Cicero: Cuius cum patre magna mihi fuit amicitia, & quorum è numero primus est. Idem, Cuius in labris ueteres Comici lepôrem habitasse dixerunt.

3 Aduerbia ac item coniunctiones, cum, ut, enim, sedenim, quoniam, nonnunquam oratio nis ordinem conturbant per Anastrophen. Cæsar, Diu cum esset pugnatum. Teren. And. scen. 1. act. 4. Nec te quiuit hodie cogere illam ut duceres. Idem Adelph. scen. 1. act. 2. Enim non finam. Hoc tamẽ in prosa non admittitur. Vergi. Impius ex quo Tytides sedenim, scelerumq; inuentor Vlysses: pro sedenim ex quo. Idem Eclog. 3. Insanire libet quoniam.

4 Relatiuum substantiæ loco suo nonnun-
Hecy. scen. 4. actus 4. quam abest nõ sine gratia. Terent. Mater quod fuasit sua adolescens mulier fecit. Plautus, Vix apud me sum, uigilans qui prope dormio.

HYSTEROLOGIA.

Aliquando præpositio non casui cui seruit, sed

sed uerbo, quasi cum eo compositum sit, iungitur per Hysterologiam. Verg. Tyriam qui adueneris urbē. Idem, Atq; rotis summas leuibus perlabitur undas. Horat. Innati triuijs. Hysterologia præposterus sermo Latine dicitur: ut, Vrbem quam statuo uestra est: subducite naues.

TMESIS.

Tmesis est unius dictionis compositæ diuisio, una dictione pluribus ue interiectis. Diacope etiam Græcis dicta, id est Incisio. Latine Tmesis sectio dicitur.

Non raro uox una siue plures, compositæ dictionis partibus intercalantur per Tmesin. Fab. Nam rogationibus plebisue scitis sancta sunt ista præcepta. Terē. And. scen. 5. act. 1. Quæ meo cunq; animo libitū est facere. Idem Eunu. Thais maximo orabat opere, ut cras redires. Idem in eadem: Omnia prius experiri quàm armis sapientem decet. Plautus: Sed ne ego stultus, qui rem curo publicam? Fa. Sententijs quidem poetarum non orationes modo sunt referæ, sed libri etiam philosophorum. Scen. 2. actus 3. Scen. 7. actus 2. Διάλογοι.

PARENTHESIS est dum contiuationi sermonis medius sensus aliquis interuenit. Latine Interpositio siue Intercluſio.

Regula.

Sensus quispiam sermoni antequam absoluitur subinde interijcitur, nonnihil uirium illi conferens, sublatus tamen legitimum sermonem relinquit. Vergil. Aeneid. 1. in calice, Iupiter

hoſpitibus (nam te dare iura loquuntur) Hunc lętũ Tyrijsq; diẽ, Troiaq; profectũ Eſſe uelis.

SYNCHYSIS.

Eſt quoties ordo omni ex parte turbatur. Confuſio Latine. Donatus Hyperbaton obſcurum & ex omni parte confuſum interpretatur.

Regula.

Interdum ordo dictionum fit confuſior, alicuius incontinuitatis uitandæ cauſa ſuſceptus. Verg. Aen. 1. Treis Notus abreptas, in ſaxa latentia torquet, Saxa uocant Itali medijs quæ in fluctibus aras. Ordinatur ſic: Notus torquet tres abreptas, ſcilicet naues, in ſaxa, quæ ſaxa latẽtia in medijs fluctibus, Itali Aras uocãt. Hor. Penè macros arſit, dum turdos uerſat in igni.

HYPPALLAGE.

Eſt quoties oratio, conuerſo rerum ordine, ꝓfertur, Latine Submutatio ſiue Subalternatio.

Regula.

1 Verba in orationis ſtructura quandoq; inuerſim proferuntur per Hypallagen. Vergil. Aeneid. 6. Ibant obſcuri ſola ſub nocte, pro ſoli ſub obſcura nocte. Idem, Sceleratam intorſerit haſtam: pro ipſe ſceleratus. Idem: Dare claſſibus auſtros. Pro dare claſſes auſtris. Henck den nagel an zoum.

HYSTERON PROTERON.

Eſt cum id, quod ſecundo loco fit, priorem in orationis ordine poſsidet.

Regula.

Regula.

1 Ordo sensuum naturalis subinde commutatus cernitur per Hysteron proterõ siue sensuum Metathesim. Verg. Et torrere parant flammis & frangere saxo. Idem: Postquam altos fluctus tetigit, & ad æquora uenit.

2 Interim relatiui sensus demonstratiuo pronomini, cuius demonstrationem exponit, præponitur. Cicero, Sed hoc non concedo, ut quibus rebus gloriemini in uobis, eisdem in alijs reprehendatis.

3 Est etiam ubi relatiuum sensui, ad quem refertur, præponi legitur. Liuius li. ab urb. con. 1. Quod bonum, faustum, felixq; sit, inquit, Quirites regem create. Cicero ad Rufum, Tamen, quæ tua est suauitas, quicq; in me amor, nolles à me hoc tempore æstimationem accipere. Vbi etiam est relatiui Enallage.

4 Nonnunquam sensus relatiui diuersitatis, quæ natura sequi debet, per Metathesim præponitur. Cicero lib. ep. 1. ep. 1. Ego omni officio ac potius pietate erga te, cæteris satisfacio omnibus, mihi ipse nunquam satisfacio. Hæc figura Græcis est usitatissima.

5 Hysteron proteron est, quoties compreca-tio siue uotum, precationem præcedit. Vergil. Eclog. 9. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos, Sic cythiso pastæ distentent ubera uaccæ. Incipe si quid habes. Hor. lib. 1. Ode 3. Sic te diua potens Cypri, Sic fratres Helenæ lucida sy-

dera, Ventorumq; regat pater, Obstructis aliis præter Iapiga Nauis, quæ tibi creditum Debes Vergilium finibus Atticis Reddas incolumem precor.

SEQVITVR ENALLAGE.

Vltimum è tribus illis, quæ Syntaxim figuratam constituunt.

Est autem duplex Enallage. Altera quidem partium orationis, quam Græci priuatim Antimeriam uocant. Altera uero earundem partium accidentium est. Vtranq; Doctissimus Linacer doctissime perstrinxit: hanc quidem in *sexto, illam uero in 2. lib. de emendata structura* Latini sermonis. Porrò Enallagen eorum, quæ partibus orationis accidunt in præsentia tractabimus. Vtpote quæ legitimæ syntaxeos leges maxime confundat.

Enallage Casus, Antiptôsis Græce.

Casum ꝑ casu positũ, quę Antiptosis dicitur, multis modis apud illustres authores legimus.

1 Sæpe nominandi casus pro uocatiuo, & cõtra uocandi casus pro nominatiuo usurpatur. Verg. Proisce tela manu sanguis meus, pro mi. Persius: Vos ô patritius sanguis, pro patritie. Idem: Censorémue tuum uel quod trabeate salutas, pro trabeatus. Horat. Macte uirtute esto, pro mactus: teste Prisc. lib. 17. in calce.

Sat. 1. Sat. 3. Li. 1. Sat. 6

2 Nominatiuus pro genitiuo, ac item gignendi casus pro Latino & Accusatiuo interdum poni consuerunt. Sallust. in fronte belli Catilinarij,

rij. Igitur initio reges (nam in terris nomen imperij id primum fuit) diuersi, pars ingeniũ, alij corpus exercebant. Plin. Omniũ triumphorum lauream adepte maiorem: pro omni triumpho: Quod Linacro Solœcophanes esse uidetur. Cice. Att. In oppido Antiochiæ, pro oppido Antiochia. Verg. Et celsam Butroti ascendimus urbem. Idem, Frontẽ superare Timaui. Aen. 1. Fluuius haud procul ab Aquileia.

Quod speciem habet Solœcismi, id est uitiosæ orationis Aeneid. 3. Butrotum urbs Epyri.

3 Dandi casus pro recto uel accusatiuo: item pro casu patrio apud authores interim legitur. Vergil. At puer Ascanius: cui nunc cognomen Iulo, pro Iulus. Vide Linacrum in fronte lib. 3, & 6. Ver. Ceruix cui lactea crines Accepit: pro cuius ceruix. Idem in 7. At Iuueni orãti subitus tremor occupat artus.

4 Datiuus pro accusandi casu, aliâs pro simplici præcipue post infinitum Esse, aliâs pro accusatiuo cum præpositione Ad uel In, etiã Apud uel Secundum, usurpari solet. Fab. Procuratorem tibi esse non licuit. Teren. Nam expedit bonas esse uobis. Vergil. It clamor cœlo. Hunc casum Sergius octauum esse ait. Teren. And. Mulier quędam commigrauit huic uicinię, id est ad hãc siue in hanc uiciniam. Pridie Nonas Ianuarias Cæsari Delphinus matutino exoritur: pro, apud Cęsarem, uel Græco more, secundum uel iuxta Cæsarem. Vide Prisc. lib. 17. de constructione omnium partium orationis.

5 Accusandi casus, eodẽq; modo nominatiuus

pro auferendi casu nonnunquam usurpantur. Horat. in Epo. Ode 5. Senem quo omnes irrideant adulterum Nardo perunctum, quale nõ perfectius, Meæ laborarunt manus: quale pro quali. Idem lib. 1. sat. 5. Occurrunt animæ, quales neq; candidiores terra tulit: pro qualibus.

6 Auferẽdi casus, modo simplex, modo cum præpositione, genitiui loco ponitur. Vergil. Et iniquo pondere rastri. Idem, Et acuto robore ualles. Vide supra Adiectiui syntaxeos reg. 10. Terẽ. Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam uideo, *inibo*: ab eo *inibo*, pro eius gratiam merebor. Idem, Ea primum ab eo animaduertenda iniuria est, pro eius iniuria.

Iuuẽ. sat. 1. Porrectura uiro miscet sitiente rubetam.

7 Ablatiuus non raro pro datiuo usurpatur. Verg. Hæret pede pes, densus q; uiro uir. Porrõ hę uoces, Senatu, metu, ornatu, apud pœtas passim lectæ, datiui casus sunt, uel Gellio teste lib. 4. cap. 16.

Generum Enallage.

1 Masculinum aliquando pro neutro ponitur. Fab. lib. 1. ca. 10. Ne miremur, quod ab antiquorum plerisq; Aenea & Anchisa sit dictus, pro dictum: nisi Nominatiuus subaudiatur.

Neutrum genus nonnunquam pro fœmino

Scen. 5. act. 3. no legitur. Terent. Eunu. de ancillis loquens, Continuo hęc adornent, ut lauet. Idẽ in Heauton. Vel uirtus tua me uel uicinitas, quod ego

Scen. 1. act. 2. in propinqua parte amicitiæ puto. Idem in Eunucho, Ego quoq; una pereo, quod mihi charius

rius est, pro qui mihi charior sum, ut inquit Donatus. Verg. de Capris Geor. 3. Hæc quoq; non cura nobis leuiore tuenda.

Numerorum Enallage.

Numerus singularis pro plurali, & contra pluralis pro singulari usurpatur. Terẽ. Adeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse. Sallust. Interea seruitia repudiabat, cuius rei initio ad eum magnæ copiæ cõ currebant: pro quorum. Plin. In Africa maior pars ferarum æstate non bibunt inopia imbriũ. Terent. Eunuch. scen. 2. act. 1. Eunuchum dixti uelle te, quia solẽ his utuntur reginæ. Eunucho, Scena 1. Actus 2.

Personarum Enallage.

Fit interim personarum Enallage, sed minus usitate: ut, Danai, qui parent Atridis, cõtra Priamum arma sumite. Teren. Phor. scen. 1. act. 2. Si quis me quæret rufus, præsto est, desine, pro præsto sum, nam de se loquitur.

Modorum Enallage.

1 Indicandi modus pro imperatiuo & pro potentiali, maxime in præterito imperfecto, & pro subiunctiuo subinde legitur: ut, Itis, paratis: pro, Ite & parate. Verg. Geor. 2. Et si non alium late iactaret odorem, Laurus erat, pro esset. Idẽ: Impulerat ferro Argolicas: pro impulisset. Cic. Dices quid? quasi istuc erat magnũ: pro esset.

Futurum indicatiui non raro imperatiui uicem, & contra imperãdi modus futuri indican-

di locum occupat. Cicero, Sed ualebis, meaq; negotia uidebis, meq; dijs adiuuãtibus ante primam expectabis. Vergilius Eclog. 7. Nuncte marmoreum pro tempore fecimus, at tu, Si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto: pro aureus eris.

3 Imperandi modus pro optatiuo, tum subiunctiuus pro imperatiuo præcipue ubi deest, præterea subiunctiuus uel potius potẽtialis pro indicandi modo crebro usurpãtur. Ver. Aen. 3. Viuite felices, quibus est fortuna peracta Iam sua: pro uiuant. Terent. Quiescas. Velis, malis. Vellem adesset, nollem abesset.

4 Infinitiuus subinde pro præterito imperfecto more Historico: interdum pro perfecto indicandi modi: etiam loco prioris supini more Græco, poni solet. Terentius: And. Facile omnes perferre ac pati, cum quibus erat: pro perferebat ac patiebatur. Idem Eunu. Omnes inuidere mihi, &c. Idem Phor. Nec meum imperium (age mitto imperium) non simultatem meam reuereri? pro reueritus est, scilicet Antipho, Cicero. Galba autem alludens uarie & copiose, multas similitudines afferre, multaq; pro æquitate ius dicere. Teren. Phor. scen. 2. actus 1. Vultisne eamus uisere: pro eamus uisum, siue ad uidendum. Helleniſmus.

Temporum Enallage.

1 Tempus præsens pro imperfecto & perfecto tam in prosa quàm in uersu positum legas, maxime

maxime cum rem quasi geri & sub oculis poni studemus: unde Enargia Grammaticis dicitur. Teren. And. Accedo ad pedissequas, quæ sit rogo, sororem esse aiunt Chrysidis: pro accessi, rogaui, dixerunt. Verg. Aen. 3. Et omnis humo fumat Neptunia Troia, pro fumauit. Idẽ, Aen. 4. Vulnus alit Venus & cęco carpitur igni: pro alebat & carpebatur.

2 Tempus præsens pro imperfecto post continuatiuas Ni & Nisi admodum eleganter usurpatur. Vergi. Ni faciat maria, ac terras cœlumq; profundum, Quippe ferant rapidi secum, uerrantq; per auras, pro faceret, ferrent, uerrerent. Teren. And. scen. 1. act. 2. Tu si hic sis, aliter sentias, pro esses & sentires. Aeneid. 1. i. Aeolus rex uentorum.

3 Præteritum imperfectum & perfectum pro plusquamperfecto nonnunquã ponuntur. Teren. Adel. Nam si esset, unde id fieret faceremus, pro fuisset & fecissemus. Liuius: Me quoque iuuat, uelut in parte fuerim laboris, pro fuissem.

4 Authores præsens pro futuro, præsertim in infinitis, quandoq; præteritum etiam pro futuro usurpant. Verg. Progeniem sedenim Troiano à sanguine duci Audierat, pro ducendam esse. Hannibal apud Liuium: Si tales animos in prælio habebitis, quales hic ostenditis, uicimus. Vide Vallam lib. 3. cap. 48. Hoc fit ad asseuerandam rem, ut non futura, sed iam esse uideatur, multoq; plus ponderis habet per præteritum quàm per futurum.

5 Præteritum perfectum pro imperfecto admodum frequenter, sed & pro præsenti, at poetis duntaxat, ac item pro futuro maxime in potentiali modo usurpatur. Terẽ. Eunuch. Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi, &c. Vergi. Quanquam animus meminisse horret, luctuq; refugit. Terent. Hecy. Deniq; hercle aufugerim potius, quàm redeam. Donatus hoc loco coniunctiuum dicit pro indicatiuo positum futurò, uel, ut alij dicunt, promissiuo.

Scen. 2. Act. 1.

Act. 3. Scen. 4.

6 Plusquamperfectum nonnunquam imperfecti uicem obtinet. Cæsar, Nonnulli etiam Cæsari nunciabant, cum castra moueri, aut signa ferri iussisset, non fore dicto audientes milites.

7 Fore & compositum affore, futurę significationis, pro esse tamẽ posita uideas. Cicero ad Att. Addis siquid secus, te ad me fore uẽturum. Idem ad Sulpitium, Quo magis te expecto, teq; uidere quamprimum cupio, maior mihi ratio affore nulla potest, quam coniunctio consuetudinis sermonumq; nostrorum. Vide Vallam li. 1. ca. 26. & Mancinelli limam in eundem, Linacrum quoq; de Enallage temporum, in calce.

De Anacolutho.

Interdũ uox illa, quæ in apodôsi adhibetur, ab ea disidet, quæ in protasi ponitur, id quod ἀνακόλουθον uocant. Teren. Eunuch. Omnia prius experiri quàm armis sapiẽtem decet, pro arma. Idem, Phædria, Cur ergo in his ego te conspicor regionibus? Thras. Vobis fretus. Est autem

tem ἀνακόλουθον, quum id in oratione non redditur, quod superioribus respondeat.

DE HELLENISMO.

Hellenismus est constructio, in qua dictio non ei casui iungitur, quem Latina proprietas exigit, sed Græca.

Canones.

1 Genitiuus pro ablatiuo cum præpositione à uel ab: item pro accusatiuo, & contra accusatiuus pro patrio casu in eodem commate: tum datiuus pro accusatiuo & ablatiuo cum præpositione Cum, apud Latinos, Græca figura usurpantur: ut, Desine curarum, pro à curis. Cicer. Nam quod inertiam accusas adulescẽtium, pro accusas adulescentes inertiæ. Terẽ. Vt uobis decet, pro uos. Nobis non licet esse tam diserti. Verg. Cui nec certauerit ulla. Ouid. Dum nouus est etiam cœpto pugnemus amori, pro cum qua & pro cum amore.

2 Præpositio interim in Latina oratione, more Græco intermittitur. Horat. Alium sapiente bonoq́, pro à sapiente.

3 Græca constructio est, quoties in masculino præsertim uel fœminino, ex intransitiua fit transitiua, appellatiuo in genitiuum pluralem mutato, & adiectiuo genus ab eo sortiẽte. Plin. Plani piscium, quibus cauda non obest. Idem, Surdis etiam rerum sua cuiq́ sunt remedia. Idẽ, In capite paucis animalium nisi uolucribus api-

ees. Idem, Canũ degeneres caudam sub aluum reflectunt. Idem, Nigræ lanarum nullum colorem bibunt.

4. Causa siue gratia non raro orationi Latinæ deest per Græcam eclipsin. Verg. Nec memini lætórue malorum. Salluſt. Quæ postquam glorioſa modo neque belli patrandi cognouit, ſcilicet cauſam. Verg.
Iuſtitiæ ne prius mirer, belline laborum?

5 Infinitiuus interim pro Subiunctiuo cum Vt, poſt uerba quæ in infinitum non feruntur & poſt adiectiua Græca forma uſurpatur. Perſius, Lætari prætrepidum cor, pro ut lætetur. Vergil. Peſtis acerba boum, pecoriq; aſpergere uirus. Idem, Magnum dat ferre talentum, pro ut ferat. Idem, Dederatq; comas diffundere uentis, pro ut diffunderentur siue diffunderent ſe.

6 Eſt qui, Sunt qui, Eſt quando, Eſt ubi, Eclipſis eſt è Græco profecta, qua paſsim pro particularibus utimur. Hora. Sunt quos curriculo puluerem Olympicum Collegiſſe iuuat.

7 Nomina propria uxorum, liberorum, interim etiam ſeruitiorum, in genitiuos propriorũ feruntur, maritorum, parentum, ac dominorũ, per eclipſin appellatiuorum cognationis, affinitatis ac dominij, imitatione Græcorum: ut, Deiphobe Glauci. Maria Iacobi. Hectoris Andromache. Teren. And. Forte huius uideo Birream: huius ſcilicet Carini ſeruum.

8 Græca eclipſis eſt, cum in citandis authoribus

bus ablatiuo utimur absq; præpositione: ut, Terent. Eunucho, Vergilius Aeneide.

9 Verba passiua ac item participia præteriti temporis, adiectiua quoq; nonnulla, accusatiuum admittunt Græca figura per Eclipsim præpositionis. Verg. Aen. 1. Expleri mentē nequit. Idem, Faciem mutatus & ora. Idem, Os humerosq; deo similis. Nuda genu. Seruius hāc Syntaxim poētarū esse ait: reperitur tamen & apud Historicos. Pompo. Mela, li. 3. De priscis Britannis, ultro corpora infecti. Idem, Sarmatæ totum brachati corpus, & nisi qua uident, ora tecti.

Pers. sat. 5. Aurē mordaci lotus aceto.

10 Cæterum & cætera, accusatiuū assumunt per eclipsim. Liuius, Ergo uirum, cætera egregium, secuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem, ambitio est. Plin. lib. 8. cap. 15. Tradunt in Misia feram, quę bonasus uocetur, equina iuba, cætera tauro similem.

Alias Pęonia.

11 Nō raro uoces in orationis structura Græco more aut redundant per Pleonasmū, aut desunt per Eclipsim. Verg. Oestron Græci uertere uocantes. Idem, Et diuum amplexæ simulachra tenebant. Idem, Clypeoq; sinistram Insertabam aptans. In quibus uel redundant participia illa, uocantes, amplexæ, aptans. Vel subaudiendum est pronomen pro loco, illum, illos, uel illa, ut sit Eclipsis.

12 Enallage Græca est, cum præsens pro futuro, Si pro an, Nisi pro sed, Hoc pro partim, At pro ergo uel quare, Est pro licet, In pro inter

usurpantur. Terent. Quid ago? Dic Hegio. Idem, Est ne ea intus? si est rogas? Idem, Visam si domi est. Idem, Nescio, nisi deos fuisse iratos mihi satis scio, qui illi auscultauerim. Verg. Iamq; reperti. Qui saxo super, atque ingentis pondere testæ, Vrgerent hoc effusos munimen ad imbres: Hoc ubi hiulca siti findit canis æstifer arua. Ouid.

Geor.2.

Meta.2. fab.1.

Vix me patiuntur ubi acres
Incaluere animi, ceruixq; repugnat habenis:
At tu, funesti ne sim tibi funeris author,
Nate caue. Vergil. Cernere erat, pro licebat. Plin. lib. 9 cap. 17. De nostris moribus bene spe rare est, si tanta apud maiores fuere auiaria, ut ex his agri stercorarentur. Idem, Hoc uulnere aliquo diductum non coalescit in paucis huma ni corporis membris.

Lib.11. cap.37.

13 Nonnunquam ad singulare redditur plurale per Græcam Enallagen. Teren. Si quisquã est, qui placere se studeat quàm plurimis, & minime multos lædere. In his Poeta hic nomen profitetur suum.

14 Et ac postea interdum Græca phrasi erotematicôs usurpata leguntur. Teren. Eho nónne hæc iusta tibi uidentur postea? Plin. lib. 8 ca. 16. Miremur postea uestigia hominis intelligi à feris, cum etiam auxilia ab uno animalium sperent? Verg. Aen. 1.

Et quisquam numen Iunonis adoret?

Hoc in genere, Latini ferè uel potentiali modo

do uti ſolent, uel eius periphraſi.

15 Eſt quando ad Græcum idioma accuſatiuus nonnunquam loco nominatiui etiam ablatiui cum prępoſitione uſurpatur. Teren. And. Obſerues filium quid agat, id eſt, obſerues quid filius agat. Idem, Reſtitue in quem me accepiſti locum, id eſt, in locum in quo me accepiſti.

16 Nominatiuus interdum poſt Infinitum, quoties ea uerba ſequitur, quæ in ſenſum infiniti duntaxat feruntur, eademq; eſt agens perſona uerbi finiti & infiniti, pro accuſatiuo ponitur. Ouid. lib. Metam. 13. Sed enim quia retulit Aiax Eſſe Iouis pronepos. Vergil. Aeneid. Senſit medios illapſus in hoſtes. Terent. Quæ ſeſe optauit inhoneſte parare hic diuitias, potius quàm in patria honeſte pauper uiuere. Ouid. Acceptum refero uerſibus eſſe nocens. Aeneid. 2. And. act. 4. ſcen. 5.

17 Illa caſus mutatio à Græcis plane ſumpta eſt, ubi Ablatiuus in conſequentia diuerſa perſona non eſt ab ea quæ finitum uerbum præcedit. Q. Cicero Tyroni li. epi. 16. epi. penultima, Non potes effugere huius culpæ pœnam, te patrono. Marcus eſt adhibendus: pro ipſe patronus, uel ſi ipſe ſis patronus.

18 Interdum accuſatiuus præpoſitioni In pro ablatiuo Græca forma ſubijcitur. Plautus, Nũc uero mihi in mẽtem fuit. Cicero, Cum noſtros portus, atque eos portus, quibus uitam ac ſpiritum ducitis, in prædonum fuiſſe poteſtatẽ ſciatis. Porrò In cum ablatiuo pro accuſandi caſu,

admodum rarenter reperias. Verg.

Aeneid. 1. Rapuitq; in fomite flammam.

19 Græca Antiptôsis est, authore Seruio, cum post passiua datiuus loco ablatiui cum præpositione adhibetur. Ver. Nec cernitur ulli. Horat. Scriberis Varo fortis & hostium victor.

20 Græca Antimoria est, cum nomẽ pro aduerbio sumitur. Plin. Hæc singula & matutina & uespertina dãtur, pro mane & uesperi. Verg. Nec gregibus nocturnus obambulat, p noctu. Idem, Nec minus Aeneas se matutinis agebat.

21 Hellenismus est, cũ post masculina siue fœminina subiicitur neutrum. Terent. Eunu. Atq; hæc qui misit, non soli sibi postulat te uiuere. Hæc enim ad Eunuchum & ancillam refertur. Idem, Qui habet salem, quod in te est. Ouid. Falcata nouissima cauda est, Qualia dimidiæ sinuantur cornua Lunæ. Idem. libro Metamor. 7. fab. 4. Validosq; uenefica succos.
Mergit in ære cauo, minuunt ea corporis artus.

Hellenismos hic generales modo attigimus, complures alios frequens authorum lectio suppeditabit.

DE CONSTRVCTAE orationis distinctione.

CONSTRVCTAE oratio-nis pronunciatio non modo in accentu (qui Tonus dicitur) & gestu, uerum etiam in legitima clausularum distinctione consistit.

Sunt

Sunt autem puncta siue notæ quædam, quibus in distinguenda oratione utimur, quæ eidē non parum enargiæ adferunt. Horum tres formas recensēt Quintilianus li. 9. ca. 4. κόμματα, id est incisa: κῶλα, id est mēbra, & περίοδον, id est, ambitum siue conclusionem, qua uidelicet integra ac perfecta sententia absoluitur.

Comma uel incisum est pars membri orationis constructæ. Hoc dextera semicirculi parte notamus sic, Quo etiam singula interim uerba distinguimus, nedū orationes. Terent. In amore hæc insunt uitia, iniuriæ, suspiciones, inimicitiæ, inducię, bellum, pax rursum, &c.

Colon siue membrum est perfecta periodi pars. Hoc duobus punctis pingitur sic: Porrò membra in longa periodo, orationes non raro consummatæ sunt: ut in hac, Quemadmodum horologij umbram progressam sentimus, progredientem non cernimus: & fruticem aut herbam creuisse apparet, crescere nemini apparet: ita & ingeniorum profectus, quoniam minutis constat auctibus, ex interuallo sentitur.

Periodus est absoluta oratio, in quā nihil desideratur. Hæc præstare debet, ut sensum concludat: sit aperta, ut intelligi queat: non immodica, ut memoria contineri possit. Hæc uno puncto signatur sic.

Genera eius duo sunt. Alterum simplex, cum uidelicet sensus unus longiore ambitu circunducitur: ut, Omnis nostra uis in animo & cor-

pore sita est. Vocaturq; hæc periodus μονόκωλον siue unimembris.

Alterum est, quod membris & incisis cõstat, quę plures sensus cõtinẽt. Et huiꝰ generis aliud bimembre, aliud trimẽbre, aliud quadrimẽbre, aliud deniq; quinq; atq; adeo sex membrorum.

Periodi δίκωλοι siue *bimembris* paradigmata ex Ioachimo Fortio. Sallu. Equidem ego regnum uobis trado firmum, si boni eritis: sin mali, imbecillum. Non enim de Tyranno, sed de ciue: nõ de domino, sed de parente loquimur. Verg.

Ante focũ, si frigus erit: sin messis, in umbra.
In fuga, fœda mors: in uictoria, glorioſa. Ego te consilio, opibus & sanguine iuui: tu me dolo, arte & gladijs inuasisti.

Periodus trimembris.

Cice. Sunt, qui in rebus contrarijs parum sibi constent: uoluptatem seueriſsime contemnant, in dolore sint molliores: gloriam negligant, frangantur infamia.

Periodus quadrimembris.

Cice. Non enim *furem*, sed *raptorem*: non adulterum, sed *expugnatorem* pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostẽ sacrorum religionumq;: nõ sicarium, sed crudeliſsimũ carnificem ciuiũ, sociorumq;, in uestrum iudicium adduximus.

Periodus quinq; & sex membrorum.

E literis fit syllaba: è syllabis, dictio: ex dictionibus, commata: è cõmatibus, colon: è colis, periodus. Sex membrorum sentẽtia erit, si addas: è

perio-

periodis intergra oratio & absoluta sententia.

De nota Erotematis?

Interrogationis nota pro orationis uehementia quandoq; in una periodo, post singula ferè commata, quandoq; in calce periodi tantum appingitur. Teren. Vbi quæram? ubi inuestigem? quem perconter? qua insistam uia? Idem. Sed est ne hic ipsus, de quo agebam?

DE ORDINE GRAMMATICÆ constructionis.

IN GRAMMATICA dictionum syntaxi, puerorum plurimum interest, ut inter exponendum non modo sensum, pluribus uerbis utcunq; ac confuse coaceruatis, reddant: sed digerant etiam ordine grammatico uoces alicuius periodi, quæ alioqui apud Authores, acri aurium iudicio consulentes, rhetorica compositione commistæ sunt.

ORDO GRAMMATICUS siue naturalis.

CASVS VOCANDI, si in oratione fuerit, sententiæ ordinem ordiatur. Succedat nominatiuus, aut quod eius uice fungitur. Hunc proxime sequatur uox illi cohærens. Tum uerbum: mox Aduerbium: cui subiũgiãtur obliqui casus à uerbo recti, & eo quidem ordine, quo in declinando utimur, genitiuus uidelicet primo, tum datiuus, deinde accusatiuus, postremo

auferendi casus. Deinde casus cum adiunctis præpositionibus. Item proprij uerborum casus obliqui communibus præcedant: Accusatiuus Infinito: Infinitum pone sequatur uerbum finitum, si modo id postulet: Etiam nominatiuus, modo uerbum hunc post se recipiat. Participia quoq; suorum casus uerborū à tergo recipiunt. Præterea adiectiuum et substantiuum simul interpretentur, nisi alterum transitionem faciat, tunc enim separatim interpretari debent, &c.

Hunc ordinem perturbant obliqui relatiuorum, interrogatiuorum, Infinitorum & diuisionum genitiui: item coniunctiones quædam: non raro ablatiui consequentiæ, &c.

HVNC uerborum ordinem à pueris in interpretando ad unguem exigere, quidnã utilitatis adferat, Ego ipse, qui duos et triginta iam annos, phrontisterij sordes, molestias, ac curas pertuli, non semel expertus sum. Illi enim hac uia fixis, ut aiunt, oculis intuentur, accuratiusq; animaduertunt, quot uoces sensum absoluant, quo pacto dictionum structura cohęreat, quomodo singulis nominibus singula uerba respõdeant. Quod quidem fieri nequit, præcipue in longiuscula periodo, nisi hoc ordine, ueluti per scalarum gradus, per singulas periodi partes progrediantur.

FINIS.

Joannes Skarszewsky 1599

Hunc mihi si rapies furtim scelerose
Libellum.
Hodiet corvus lumen utrumque tuum

Socius stanislai Petrikowy intimus
Joannes Skarszewsky Nobilis Vir.

Nasutus sis usque licet sis denique nasus
Quantum noluerit Ferre rogatus Athlas

Joannes Skarszewsky fortissimus vir
Fortior Achille

BIBLIOTEKA KÓRNICKA
14122

